Bibliothecae Secretae Coll. Rom. Soc. Jesu

12-13-C-15

OPERIS MINERALIS.

PARS PRIMA.

Ubi docetur ſeparatio auri è ſilicibus, arena, argillâ, aliiſque foſſilibus per ſalis Spiritum, quæ aliàs eliquari nequeunt.

ITEM

Panacea ſive Medicina Vniverſalis antimonialis, ejuſque uſus

Inventa & publicata in gratiam Studioſorum artis Chymicæ

Per

JOHANNEM RUDOLPHUM GLAUBERUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AMSTERODAMI,
Proſtant apud JOANNEM JANSSONIUM,

CIƆ IƆC LI.

Digitized by Google

Præfatio

Ad

LECTOREM.

Neglectâ hactenus editione aliorum,quorum mentionem feci paucis abhinc annis in publicatione quorundam Tractatuum, ob varia itinera,impedimentaque varia,ſine dubio reperientur nonnulli, qui cogitabunt (cognitionem mei nullam habentes) promiſſis me non ſatisfacere valere; alij verò, conditionem meam non ignorantes, nec contumelias oſorum meorum,formidabunt me à propoſito averſum contumeliis iſtis, ſecreta promiſſa ſuppreſſurum. Quare promiſſis ſtare decrevi, ut hi nimirum videant, me non eſſe commotum vel alteratum convitiis malevolorum; illi verò convincantur reali demonſtratione Secretorum mihi non velatorum, quorum nonnulla nunc publici commodi gratiâ communicare conabor. Etſi cauſam habuerim reticendi ob ingratitudinem mundi, candor tamen animi permittere noluit, ut reticerem illa propter malevolos ingratos. Præterea ſequens etiam me movit

ratio, quod nonnulli reperiantur ambitioſi, qui falſo glorientur de variorum meorum ſecretorum cognitione; unde nonnulli commoti fuere arbitrari, mea *non mea, ſed alterius eſſe opera & ſcripta; quâ ratione dignitate & laude propriâ, privatus fui & orbatus, attributâ alij. Atque hoc ſæpe mihi accidit, ut unus vel alter precibus à me impetratum Secretum aliquod, ſibi deinceps adſcripſerit ſolummodo oſtentationis gratiâ.*

Sunt etiam qui non verentur me ac mea ſcripta afficere contumeliis, ac ſi nugas ſcripſiſſem, optatum ſuorum laborum finem non attingentes, qui potius quam ego, qui ſatis aperte ſcripſi, culpandi, laborare neſcientes. Talia & alia me deterrere potuiſſent, ſed nolui intermittere publicationem ſcriptorum propter pios & honeſtos. Quare palam ajo publicata ſub nomine meo ſcripta, non modo non eſſe nugas ſed veriſſima, quin etiam mea propria, & non alterius inventiones; & mendacem *illum appello, qui ſe illorum authorem jactitabit præter ullam ſpem meam. Sed de his ſatis! Admonitum verò velim lectorem benevolum ſtyli ſimplicitatis gratiâ hujus libelli; me non eſſe inſtar aliorum plurimorum ſcriptorum, ornatum verborum potius ſpectantium, quàm rem ipſam; proximi commodum quærentem.*

Digitized by Google

rentem. Quare melioris intelligentiæ gratia uſurpare malui prolixitatem verborum, auribus delicatorum tædioſam, quàm obſcuram illorum brevitatem rhetoricis figuris ornatam. Non enim me latet, artis ſtudioſos prolixam & planam, diſtinctamque amare informationem ſive inſtructionem, potius nimirum quam obſcuram figuratam Ciceronianam. Quare in nomine Domini, initium faciam operis mei, omnibus utiliſſimi, illudque fideliter communicabo & publicabo, eo quo modo in itinere à me exaratum, ſub titulo Operis Mineralis, *in tres Partes diviſi. In quarum Prima docebitur, quomodo ex arena & ſilicibus aureis, eliciendum aurum beneficio Spiritus ſalis corporale. Quod ſecretum etſi exiguum appareat, valet tamen (habita cognitione verorum lapidum, veræque arenæ) ad vitæ non ſolum ſuſtentationem, ſed etiam ſumptuum erogationem impendendorum duabus partibus ſequentibus probandis.*

In Secundâ Parte tractabitur de origine & generatione metallorum, nec-non de morte mineralium & metallorum.

In Tertiâ Parte demonſtrabitur rationibus varijs tranſmutationis metallicæ poſſibilitas per naturam & artem: quæ demonſtratio, à nemine hactenus (ni fallor) præſtita, fun-

damentum erit totius Philoſophiæ Metallicæ, & corona aurea *cunctorum meorum ſcriptorum. Faxit Deus ter Opt. Max. ut id perficiam ad nominis ſui Divini gloriam & proximi mei commodum. Amen.*

Proceſſus utiliſſimus, ſeparationis auri, è ſilicibus, arenâ, argillâ, talco rubro & nigro aliiſque foſſibilibus, continentibus aurum ſubtiliſſimum, rarum & ſpongioſum, quod alias ſeparari nequit vel ob ſui paucitatem, vel mineræ reluctationem propter ſumptus impendendos; facilimæ nimirum cum ſalis ſpiritu.

SCito primum, Lector benevole, non quamvis arenam, argillam, nec quoſvis ſilices, aliaque foſſibilia poſſidere aurum, ſed nonnulla ſaltem illorum, quorum cognitio habenda, ſine quâ hoc nihil valet ſecretum. Et quia horum cognitio admodum neceſſaria artifici, oſtendam quomodo illa probanda utrum contineant aurum nec ne, ne incaſſum laboret oleum & operam perdens, ſed cum lucro & commodo.

Mira hominum dementia incerta quærentium, certa verò omnium oculis expoſita negligentium. plurimi enim metallorum perfectionem quærentium divitiarum gratiâ, occupantur circa rem incertam, quia è millibus vix unus optatam contingere poteſt metam. Etſi poſſint perfici & purificari, metalla nimirum imperfecta & impura, ita ut bonum inde aurum & argentum elici poſſit, paucis tamen datum illud artificium, nec omnes & ſinguli illud perpetrare apti, quia requirit artificem ingenioſum & exercitatum. Res

 verò

verò certa perfici poteſt exiguis ſumptibus & laboribus à Chymico quovis vulgari, aliquam ſaltem habentem cognitionem artis fuſoriæ & ſeparatoriæ ingenioſum quidem, ſed non nimis alta quærentem nec divitias primâ vice nimias. Cautus igitur eſto in extractione prædictorum lapidum, ſi enim magnam illorum copiam cum ſalis ſpiritu extraheres auro carentium ſine omni dubio nullum etiam aurum in iis reperturus eſſes: Etſi contentum in iis extraheres, nec tamen ſcires illius ſeparationem per antimonium, nihil inde commodi ſperandum tibi eſſet.

Cumprimis enim tibi neceſſaria, cognitio nimirum illorum lapidum primò, poſtea etiam ſeparationis illius per antimonium. Culpam igitur erroris non mihi, ſed tibi imputa ignoranti, ſi aurum elicere neſcis, ſatis enim dilucidè ſcripſi, etſi ignorares aliquid omiſſum. Quare te præmonitum velim, ut cautus ſis in laboribus; ne in vanum & in caſſum labores. Certum enim citra omne mendacium, in multis reperiri locis ſilices aureos, nec-non argillam & arenam auream, abundantes ſæpenumero auro. Etſi non abundant, non tamen extrahuntur ſine commodo: abundantes tamen ſilices auro cum majori extrahuntur lucro. Reperiuntur quoque nonnumquam montes & petræ integræ aureæ, nec-non montes ingentes arenâ & argillâ aureâ referti, ſumptus ablutionis non reſtituentibus, vel ob nimiam ejus rarefactionem ſive ſpongioſitatem & levitatem, propter quam unà cum arenâ abluitur aurum; quæ omnia & ſingula, quantumvis

paupe-

pauperiora,per ſalis poſſunt extrahi ſpiritum cum lucro,per antimonium fixari & purificari. In ſummâ hoc tale eſt Secretum,quo nemo cuiquam impedimento eſſe poteſt,ſicuti in aliis operibus mechanicis, cujus nemo ſe pudere habet; propterea enim Deus in terrâ & lapidibus creavit aurum, ut inde illud erueremus ad nominis ſui gloriam, & proximi emolumentum, nec nobis interdixit verum & genuinum illius uſum. Dico igitur in rerum veritate, me hîc deſcripſiſſe artem, quantumvis deſpectam ab ignorantibus, maximi tamen momenti & ferè incomprehenſibilem. Conſidera modò rem paulo altius. & reperies ubivis ferè terrarum ingentes latere theſauros, qui ſolummodo ignorantiâ non eruuntur. Siquidem latet neminem, reperiri in variis locis arenam & argillam auream, quæ ob prædictas rationes relinquuntur incultæ, per hanc verò noſtram artem facilimè elaborari poſſunt.

Reperiuntur quoque montes argentei, è quibus argentum eliquari nequit ob paucitatem ponderis. Reperitur quoque in multis locis terra quædam flava vel rubella, ſive argilla talis, quæ etſi contineat argentum ſatis copioſum, eliquari tamen illud nequit cum fructu, ſeparabile nimirum cum lucro hâc ratione, ſed non per ſalis ſpiritum, qui ☽ intactam relinquit, ſed per aliud quoddam, ubivis reperibile in copiâ, de quo nihil certis de cauſis hîc locorum.

Facit quoque hæc ſeparationis ratio ad mineram cupri pauperem,quæ cum commodo coli nequit viâ vulgari, ſeparanda à cupro, maturando

poſtea in metallum melius, vel convertendum in æs viride, in defectu melioris artis, quod negotium etiam abundanter facit ad familiam honeſte ſuſtentandam. Poſſunt etiam hâc ratione ſcoriæ rejectæ minerarum ☉, ☽. & ♀ cum lucro ſeparari & extrahi. Sed quia hic locorum ſolummodo tractare decrevi, de auri extractione è lapidibus, merito hîc illa omittuntur menſtrua, quæ uſurpantur in extractione ♀, ☽ aliorumque metallorum, reſervata ad alium locum, ubi aliquando tradentur, ſi videro nimirum hanc in hominum oculis acceptam eſſe demonſtrationem, quam ſequentur plura alia præſtantiſſima: Sicuti modò ſuſcepi tractare materiam aliquam meliorem in gratiam patriæ, è quâ apparebit, Germaniam quantumvis ad incitas redactam, ſatis adhuc locupletem ſi modò tandem aliquando oculis apertis theſauros abſconditos videre velit. Non opus eſt offam præmanſam offerre, ſufficit enim demonſtratio; nec eſt conſultum negligentibus obtrudere bonum; Ingratis enim etiam optima ſunt ingrata. Miſſis igitur hiſce, brevibus dabo ſilicum illorum demonſtrationem & extractionem; nullus dubitans quin experti & exercitati, etſi inertes nihil præſtare valeant, fructum & commodum inde percepturi, Deoque ſint acturi gratias.

Quod igitur attinet ad lapides illos prædictos, è quibus aurum extrahi poteſt, ita ſeſe res habet. Omne genus ſilicum plerumque in ſe continet aurum inviſibile, quandoque viſibile & inviſibile, volatile & corporale ſimul; plerique verò communi-

muniter continent aurum impurum ferreum volatile, nec-non ſimul maturum; pauci autem ſulphureo-cupreum.

Lapides qui Germanis dicuntur *Quartzen* & *Hornſtein*, continentes aurum purũ & corporale, etſi mixtum argento & cupro, torreri ſive cremari poſſuut, conteri, & cum Mercurio extrahi, & ſi auro abundant, cum fluxu eliquari; quos labores mineralium foſſores & tractatores non ignorant, de quibus mea non fert intentio ſcribere, quia de illis alij etiam ſcripſêre olim. Illi verò ſilices, Quartzẽ & Hornſtein, ubivis ferè reperibiles, modicum ſaltem in ſe diſperſum continentes aurum ferreum, marcaſitheum, illudque vel fixum vel volatile, cum fructu & emolumento ſeparari nequeunt, nimirum neque per Mercurium, neque per fluxum, quare à foſſoribus negliguntur vel ex ignorantiâ, vel propter ſumptus intolerabiles. Expertus autem lapides illos abjectos, quantumvis parum poſſidentes auri; cum maximo tamen lucro ſeparari poſſe, intermittere nolui hanc ſcientiam egregiam publicare in gratiam proximi Chriſtiani, nullus dubitans quin hæc innumeris profutura ſit publicatio. Non enim ignoro tam doctos quam indoctos, nobiles quam ignobiles, ſeculares quam ſpirituales, bello vel aliter ad pauperiem eſſe redactos, ita ut familiam vix ſuſtentare valeant &c. Horum aliorumque egenorum gratiâ publicavi hoc Secretum, quo rite tractato haud exigui quid licebit quotannis lucrari cumprimis ubi habentur in copiâ lapides illi, nec-non ſpiritus ille ſalis, cujus data deſcriptio

ptio in Parte Prima fornacum Philoſophicarum; cujus aliquando etiam dabitur deſcriptio melior, nihilo nimirum prohibente; interea utere & fruere dictis. Etſi forte fortuito ad amuſſim prædicti tractatus non omnia perpetrare poſſis, noli erubeſcere addiſcere manualia ab exercitatis (quæ adeò exacte deſcribi nequeunt) ne ita inutiliter operam perdas & oleum ampliùs in poſterum. Quod igitur ad lapides illos, ſcito plurimos illorum in multis reperiri locis, cumprimis in arenoſis & montoſis, in uno tamen altero plures & meliores: raro enim reperitur arena carens ſilicibus, ſæpe etiam arena ipſa quamtumvis parva non caret auro. Commodiſſime autem quærantur in littoribus fluminũ, ubi aquæ ablutione à ſilicibus ablatâ & ſeparatâ arenâ copioſiſſimi reperiuntur, qui tamen non adeò facile extrinſecè dignoſcuntur, ſicuti illi qui in arenâ reperiuntur mundi, quia limoſitate obducti. Quare malleo oportet ut confringantur, ut appareat quod latet in ijs, quod melius emicat, ſi in igne cremati, extinguuntur in aquâ frigidâ. Lapis enim albedinem ſuam retinens facta crematione & extinctione, nihil continet; acquirens verò rubedinem contentum in ſe indicat, & quo major illa rubedo, eò melius indicium. NB. Sed hoc non intelligendum de lapidibus arenoſis, rubeſcentibus etiam aliquâ ex parte in igne, nihil auri poſſidentibus, ſed de ſilicibus, è quorum mutuâ percuſſione elicitur ignis, qui quo puriores eò purius quoque inde elicitur aurum. Sunt quoque ſilices è quibus ignis elicitur percuſſione, rubeſcentes in igne,
qui

qui nihil continent auri ſed ferrum; quod digno- ſcere licet è venuſtâ illorum rubedine ante cre- mationem, quæ factâ crematione abit in obſcu- ram rubedinem non ſplendidam & crudam: con- tinentes verò aurum ſilices factâ crematione ſpendidam acquirunt flavedinem auream,vel co- lorem rubellum, ac ſi eſſent obducti auro, atque eam per univerſam ſubſtantiam, ſi confringuntur in particulas. Atq; hi quidem putũ dant aurum,illi verò dant quidem extractionem ſanguinis inſtar rubram, ſed non aurum, ferrum verò purum pu- tum malleabile optimum, non contemnendum propter uſus Chymicos(cumprimis verò Lunam cementandam & exaltandam) aurum enim rariſ- ſime in iis reperitur; id quod probe obſervan- dum ne ferrum loco auri elicias, operamque ſic perdas & oleum.

Optimi quoque ſunt lapides aurum continen- tes albi, ſplendidi,hinc inde præditi per univer- ſam ſubſtantiam maculis & lineis viridibus, ru- bris, flavis, cœruleis & fuſcis. Reperiuntur quo- que ſilices nigri, è quibus elicitur ignis percuſ- ſione, aurum poſſidentes & ferrum, qui cum lu- cro ſeparari poſſunt, dantes quandoque aurum copioſum ferreum ſeparabile per artem, de quâ poſtea.

Optimi quoque ſilices retinentes albedinem cremati, venulis præditi viridibus, cœruleis alijſ- que. Nec contemnendi qui non venulis cremati præditi ſed maculis nigris.

Saxa verò ſive petræ(*Quartzen* & *Hornſtein*) etſi in crematione non alterantur, ſi modo antea viſum

viſum in illis aurum volatile & ſpirituale, vi ſeparationis ſuum de ſe dant aurum.

Arena craſſa & ſubtilis aurum continens flammeum & leve, dat in crematione fumum cœruleum & colore exaltatur fuſco nimirum: nihil autem continet, quæ non alteratur.

Terra ſubtilis flava vel rubra inſtar venæ tranſiens arenam ſive montem, continet quoque aurum quod plerumque volatile eſt & immaturum, avolans in reductione, ingreſſum habens in Lunam aliaque metalla, ac proin hâc ratione conſervabile.

Melioris cognitionis gratiâ poteris probare quoque lapides vitro albo fuſili, de quâ re actum in Parte Quartâ fornacum Philoſophicarum, ne mihi culpam erroris commiſſi imputare cauſam habeas; quare te præmonitum velim, non omnes nimirum continere lapides aurum, nec ex omnibus illud eſſe ſeparabile per ſalis ſpiritum: Cognoſcendi illi igitur antequam applicentur operi.

Sequitur nunc ſilicum præparatio, aurique in illis contenti extractio per ſalis ſpiritum.

PRimò oportet ſilices in igne candefactos, extinguere in aquâ frigidâ, poſtea inde exemptos refrigeratos ſubtiliſſime conterere.

NB. Quando conteruntur in mortario, facile ſeparari poſſunt partes meliores ab ignobilioribus;

bus; dum enim ſubtiliſſime conteruntur, ſemper pars melior primo abit in pulverem rubrum, relicto parte ignobiliore, craſſiore & duriore, parum vel nihil continente: Etſi craſſiuſculè contriti trajiciuntur per ſetaccum ſubtiliſſimum, pars ſubtilior inſtar pulveris rubri tranſit cribrum, relicta parte inutili in cribro inſtar pulveris albi, quæ abjicienda: Etſi aliquid adhuc in ijs apparet rubedinis, oportet ut denuo conterantur in mortario, & denno pars melior abibit in pulverem rubrum, relictâ parte ignobiliore, craſsiore albâ in cribro, ac proin abjiciendâ. Obſervandum verò non omnes & ſingulos contritionis beneficio ita ſeparabiles eſſe ſilices; nonnulli enim contriti unum eundemque ubivis locorum retinent colorem, abſque ullâ aliquâ ſeparatione, partium meliorum; quos in totâ ſubſtantiâ ſubtiliſsime terere & extrahere oportet: Illi verò (ſeparabiles nimirum) facilius extrahuntur, quia omne aurum in unâ librâ contentum, plerumque colligere licet ex uncijs tribus vel quatuor ſubtiliſsime tritis & ſeparatis modo prædicto; ita ut nonopus ſit totum extrahere lapidem, nec tantam conſumere copiam ſalis ſpiritus. Arena verò & argilla tali non opus habent præparatione, ſed abſque præmiſſa præparatione, ſalis ſpiritus affuſione extrahuntur.
℞. Poſtea ſilicum prædicto modo præparatorum & ſeparatorum lib. 2. 3. 4. 6. quibus in cucurbitâ vitreâ integra (indiviſâ) affunde ſalis ſpiritum ad eminentiam 3. vel 4. digitorum latorum tranſverſorum, & colloca in arenâ calidâ vel B. ita ut ſalis inde ſpiritus probe incaleſcat, aurumque extra-

extrahat, atque ſic una relinque 5. 6. vel plurium horarum ſpatio, donec ſpiritus ſupremâ rubedine tinctus, nihil amplius extrahere poſsit. Etſi forte primâ vice (quod accidit rarò) tantâ non tingatur rubedine ſpiritus, decantare oportet illum imperfecte tinctum, & affundere alijs ſilicibus prædicto modo præparatis in peculiari cucurbita, nec non collocare ipſum unà cum ſilicibus in calore mediocri, auri extractionis gratia; quo facto iterum decantare, recentibuſque reaffundere ſilicibus, atque id tantiſper repetere dum ſufficientem attraxerit auri quantitatem; quem poſtea aſſervare oportet, donec majorem tibi comparaveris copiam, ac omne aurum inde unâ vice poſtea ſeparandum; ut dicetur poſtea. Quo facto affunde ſilicibus reſervatis in prima cucurbita, ſpiritum ſalis recentem, eamque tamdiu unà cum ſilicibus in calore relinque, donec coloretur, & reſiduum in ſilicibus aurum, prima vice non extraxerit; quem poſtea decantatum, affunde ſilicibus in ſecunda cucurbita reſervatis & tertia, ad reſiduum in ijs extrahendum aurum prima nimirum vice non extractum; & ſic conſequenter alijs reſervatis, donec nimirum ſufficienter coloretur ſpiritus, nec amplius quid attrahere valeat; quem poſtea decantare, & aſſervato primo affundere oportet. Oportet autem extractionis remanentiæ recentem affundere ſpiritum ad omnimodam auri extractionem. Tandem aquam etiam communem affundere oportet, ſpiritus auro tincti, in ſilicibus reſidui, abluendi gratia, nequid pereat auri.

Atque

Atque hic extractionis & ablutionis labor tamdiu totieſque repetendus, quamdiu aliquid ſupereſt ſpiritus & ſilicum; interea etiam opus eſt ut abjiciantur extracti ſilices & abluti; ut cucurbitas recentibus replere poſſis ſilicibus, inceptumque continuare laborem. Etſi nullus tibi amplius ſpiritus reſiduus ad continuandam extractionem, oportet aurum extractum ſeparare à ſpiritu, quod fit ſequenti ratione: Et primo quidem oportet te habere copiam vaſorum vitreorum, vel retortarum ex optima terra confectarum, quæ ſpiritus retinere poſſit; quas eatenus replere oportet ſpiritu imprægnato, ne in abſtractione ſpiritus ebulliat: quo facto in B. ſicco abſtrahendus ab auro paulatim, quem poſtea denuo uſurpare licet in opere prædicto. Reſiduum ſive in fundo vaſorum relictum aurum, à vaſis ſeparandum filo ferreo incurvato, & ad uſus ſuos (terræ rubræ ſimile) aſſervandum, donec ſufficientem acquiſiveris quantitatem, quanta nimirum ſufficit ſeparationi & purgationi, de qua infra, per antimonium inſtituendæ.

NB. Ubi vero extraxeris cum ſalis ſpiritu talcum rubrum, granatos rubros vel nigros, ſmiridem, lapidem calaminarem, aliaque foſſilia, præter aurum fixum modicum continentia multum auri immaturi & volatilis, oportet ut in abſtractione parum adjicias ferri; ſolutioni nimirum, quod aurum retinet & figit, avolans alias in fuſione. Quare ejuſmodi ſolutiones & extractiones talci aliorumque, aurum volatile continentium, abſtrahuntur rectius è cucurbitis ferreis per

 alem-

alembicos terreos, quàm è retortis vitreis & terreis, quia tunc aurum illud volatile ipſum tantum attrahit inde, quantum ſibi opus ad fixationem; quod poſtea ferrum facile iterum ſeparatur per antimonium ab auro ſicuti poſtea docebitur. Hoc quoque notabile, non omnem granatum ſolubilem in ſalis ſpiritu, etſi diu unà cum ipſo relinquatur in digeſtione, ſuum priſtinum ſemper retinens colorem; quare differentia illorum habenda, vel præparatio addiſcenda, ſolutioni ſolis in ijs contenti requiſita.

Cæterum oportet etiam talcum extrahere calore non nimio, ſive exceſſivo, ne tota ejus diſſolvatur ſpiritu ſubſtantia, ad operis impedimentum; quia parum inde commodi tunc; propterea enim inſtituitur illud, ut aurum illud modicum, diſperſum in magna talci quantitate, redigatur in anguſtiam, ne opus ſit magnam illam talci quantitatem integram fluxuũ beneficio fundere, cum damno & incommodo. Nullum autem in ſilicibus periculum, quia ſalis ſpiritus eos non diſſolvit ſicuti talcum, ſed ſaltem extrahit inde aurum relicto corpore lapideo. Oportet quoque & aliter tractetur lapis calaminaris in extractione & fixatione, quam granati, ſilices, talcum, quia totus fere ſolubilis in ſalis ſpiritu; qui huc non pertinet labor, quia peculiari ratione (de quâ alibi) inſtituitur & extractio & fixatio, nec mei inſtituti nunc de eâ tractare, ſed ſaltem de extractione auri è ſilicibus ubivis reperibilibus. Atque hic eſt modus ille extractionis auri è ſilicibus & arenâ per ſalis ſpiritum in calore, inſtituendæ in vaſis

ſis vitreis. Eſt autem & alius extractionis modus, qui fit in frigido abſque vaſis vitreis, quem etiam apponere operæ pretium eſſe duxi, ut pro labitu in opere prædicto hunc vel illum eligere poſſis, qui viâ peragitur ſequenti. Habemus autem opus in hoc modo copiâ infundibulorum terreorum, optime crematorum, ſalis ſpiritum non abſorbentium; in quorum defectu comparentur vitrea fortia: Requiritur quoque ſcamnum multis foraminibus præditum pro recipiendis infundibulis prædictis, quibus etiam inferne ſubſtituuntur ſcutellæ vitreæ, ad recipiendum ſalis ſpiritum percolatum.

Sequitur nunc ille labor, infundibulorum nimirum beneficio inſtituendus.

IMpoſitis ſcamni foraminibus infundibulis, oportet primo ut imponatur fruſtulum craſſiuſculum ſilicis in parte nimirum anguſtiore, cui poſtea ſuperimponantur minora, atque his iterum minora, quantum nimirum ſufficit ad repletionem partis anguſtioris infundibili, cujus pars poſtea amplior replenda ſilicibus pulveriſatis, ita tamen ut relinquatur ſpatium 3. vel 4. digitorum tranſverſorum pro ſalis ſpiritu. Hâc ratione particulæ illæ craſſiuſculæ in inferiore parte collocatæ impediunt tranſgreſſum pulveris ſubtilioris ſilicum in affuſione ſalis ſpiritus.

Quibus rite peractis affunde ſilicibus contentis infundibulis ad eminentiam 2. vel 3. digitorum tranſverſorum ſalis ſpiritum, qui eveſtigio aggredietur illos, attrahetur aurum in ijs contentum,

 tranſ-

tranſeundo in ſcutellam appoſitam. Et quia plerumque primâ illâ vice una cum ſpiritu aliquid tranſit quoque pulveris, oportet ſpiritum illum toties reaffundere ſilicibus, donec factâ obſtructione clarus tranſeat ſpiritus; poſtea affunde hunc quoque ſpiritum, ſilicibus contentis in ſecundo infundibulo; deinde ſilicibus in tertio quoque contentis infundibulo & ſic conſequenter, donec per ſingulorum infundibulorum ſilices percolatus fuerit; vel toties reaffunde donec ſufficienter fuerit coloratus; quem poſtea aſſervare oportet, donec ſufficientem nactus fueris copiam, deſtillationi requiſitam per retortam ad ſpiritus ſeparationem ab auro. Deinde ſpiritu illo primo ſecundum ordinem per ſingulorum infundibulorum ſilices percolato & colorato, affunde recentem ſp. ſilicibus ſingulorum infundibulorum, ſecundum ordinem nimirum, incipiendo à primo donec perveneris ad ultimum, donec ſufficienter coloratus fuerit. Quo facto, denuo affunde recentem ſalis ſpiritum ſilicibus (ſecundum ordinem) contentis in ſingulis infundibulis. Et ubi videris ſpiritum tranſcolatum non tinctum, ſignum eſt omne aurum fuiſſe extractum antea; quare nullum reaffundas amplius ſpiritum, ſed aquam communem, tranſcolationis nimirum gratiâ, & aqua attrahet ſpiritum ſalis reſiduum, ſilicibus adhæreſcentem, ita ut nihil pereat; quam aquam etiam ſeorſim aſſerva acidulam, ad eoſdem ſimileſque uſus. Quo etiam peracto, exime ſilices extractos, & recentibus reple ſingula infundibula ut antea, extractionis nimirum

rum gratiâ, atque id tamdiu, quandiu tibi ſuperſunt ſilices & ſpiritus. Oportet autem ſpiritum illum non tinctum ſufficienter, primâ vice affuſum, non affundere ſpiritui ſufficienter colorato, auroque impraegnato, ſed ſeorſim aſſervare, recentibuſque reaffundere ſilicibus præparatis, ſecundum ordinem, in diverſis contentis infundibulis, donec etiam nimirum ſufficienter coloretur; coloratumque unà cum reliquo per retortas vitreas ſeparare ab auro extracto abſtractionis beneficio; nec-non abſtractum denuò applicare novo operi, nimirum ſimili. Atque hâc ratione poteris cum 100 lib. ſalis ſpiritus, extrahere aliquot mille libras ſilicum præparatorum, aurumque ſeparare contentum in illis, quod aliàs fuſionis beneficio fieri nequit. Conſiſtit autem potiſſima ars in extractione (ſalis ſpiritu rite recteque prius adminiſtrato) ne pereat ſpiritus, quâ pauco ſpiritu multæ imo plurimæ lapidum extrahantur libræ. Hæc autem in hâc extractione obſervanda cautela, quæ fit in frigido, quod requirat ſalis ſpiritum fortiorem, quam illa, quæ fit in calido cucurbitarum beneficio; aliàs enim tardius ſuccedit negotium: ſpiritu autem fortiore hâc (frigidâ) viâ facilius celeriuſque extrahuntur, quàm illâ, quæ fit in calido; utpote non adeò periculoſâ nec laborioſâ & ſumptuoſa: requirit igitur hæc auri extractio ſpiritum ſalis fortiorem (quod notatu dignum) frigida nimirum, quam illa calida.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Atque hic modus eſt ille, quo ſilices illi aurei, aliaque foſſilia aurea præparantur, cumque ſalis

ſpiritu extrahuntur, quo etiam ille denuo ab ijs ſeparatur: nunc etiam ſequetur modus purificationis nimirum auri in retortâ relicti. NB. Auro extracto è ſilicibus puro puto, non ferreo, non opus eſt magnâ induſtria in ejus purificatione, quia ſolummodo poteris ipſum purificare fuſionis beneficio cum borrace, vel fluxu illo facto ex æquali pondere nitri & tartari: at ſi mixtum, ſit aurum illud è ſilicibus extractum, ferroque inquinatum, ſicuti plerumque eſt, tunc non oportet illud fundere cum fluxu, quia hac ratione non purificatur, nec malleabile redditur aurum, ſed per Saturnum ſeparare, quâ ratione malleabile exhibetur & purgatur aurum. Etſi tale præter ferrum admixtas quoque habeat aurum alias impuritates ſulphureas, nec cum ♄ illud ſeparare oporteat, quia tunc partim convertitur in ſcorias per ferrum reliquaſque impuritates non ſine damno; quare cum tribus partibus antimonij purgandum venit & ſeparandum, qua ratione nihil perditur; quæ optima ſeparationis & purificationis via eſt auri; nimirum ejuſmodi ferrei, ſine quâ alias abſque jacturâ ſeparare nequit.

Quomodo aurum immundum ſeparetur & purificetur per antimonium.

HIc labor ſcitu eſt neceſſarius admodum lucri habendi cauſâ è prædicta extractione ſilicum per ſalis ſpiritum, quæ ſine hâc ſeparatione & reductione nullius momenti: Et quid commodi

modi quæſo ab extractione auri immaturi quod vulgari illâ viâ eliquari nequit, induſtriam artificis requirentis in fuſione, quâ fixatur & ſeparatur à fecibus ſulphureis? Facile namque conjectare licet, aurum tale, ſpirituale, volatile, ferroque mixtum, communi illo fluxu irreducibile eſſe in corpus; potiuſque reducibile in ſcoriam: Experientia enim teſtatur, aurum ſalis ſpiritu ſolutum, nec-non ferrum, ſive aliud quodvis ſulphureum, quod abſtracto ſalis ſpiritu, reduci nequit integrum beneficio vulgaris fluxus illius, compoſiti è nitro & tartaro, in ſcorias abiens: Quod ſi accidit naturaliter fixo auro corporeo & mundo, quid ni accideret per naturam volatili, immundo & incorporeo? Auro enim è lapidibus extracto communiter exiſtente ferreo, ferroque cum auro maximam habente affinitatem (propter quam difficilime ſeparatur arctiſſime unita, ita ut facilius cum ferro abeat in ſcoriam, quàm ſeparetur aurum) neceſſe eſt adminiſtrare fluxum non ſolum aurum illud immundum attrahentem, ſed etiam purificantem & mundificantem; id quod præſtat antimonium ſolum, quod ſulphure ſuo combuſtibili fuſibili aurum aggreditur illud ferreum, ſive ferro mixtum facillime; Mercurio verò ſuo attrahit aurum purum putū corporeum, illudque mundificat, ſeparatque ab omni ſorde ſine aliquâ jacturâ: quare melior dari nequit fluxus, requirens autem induſtriam, ſive ingenioſam ſeparationem, antimonii nimirum ab auro, abſque jactura ſolis; Id quod fit ſequenti modo.

Et quidem primo oportet aurum ferreum, reſi-

duum in abſtractione ſpiritus ſalis, in retortis ſive ollis ferreis, terræ rubræ ſimile, conterere in pulverem ſubtilem, atque huic admiſcere part. 2. vel 3. antimonii pulveriſati, mixtaque in crucibulo fortiſſimo, repleto & cooperto fundere in fornace noſtra Quartâ, donec inſtar aquæ fluant; quo poſtea apparente ſigno effundere ſimul etiam oportet in conum calefactum, intrinſecè cera inunctum, & ubi refrixerint, ſeparare regulum (majorem auri partem continentem) à ſcorijs mallei percuſſione, ipſumque ſeorſim reſervare. Quo facto oportet antimonium reſiduum ſcoriaceum, multum adhuc poſſidens auri, denuo fundere in crucibulo, illique adjicere parum limaturæ ferri, admiſcendo nimirum cum ferro incurvato, & mortificabitur ſulphur illud combuſtibile antimoniale, additione ferri, dabitque regulum reſiduum aurum continentem, qui habita ratione quantitatis ferri adjecti, major vel minor erit, & pondere ferri reſpondebit ponderi plerumque poſteaque maſſam optime fluentem effundere in conum calefactum, cerâ intrinſecè inunctum, factaque refrigeratione regulum à ſcorijs ſeparare mallei percuſſione, quem etiam ſeorſim reſervare oportet; ſcoriaſque reſiduas denuo ut antea fundere, & cum ferro præcipitare, regulumque extrahere inde, ſeorſim etiam aſſervandum aurum continentem, argento plerumque mixtum. Aurum enim optimum prima ſemper vice præcipitatur, poſtea verò vilius, tandem etiam argentum ſolum. Quare ſinguli ſeorſim aſſervandi reguli, ita ut aurum purum putum habea-

habeatur ſeorſim, ſeorſim etiam argentnm aureum. NB. Etſi antimonium ab adjectione ferri fuſibilitate privatur ſuâ, ac proin regulum dare nequit, opus eſt ut ſingulis vicibus, quando fit præcipitatio ferri adjectione, ſemper aliquid etiam adjicias mihi, fuſibilitatem maſſæ promoventis in crucibulo, reguliſque præcipitationem. Redacto omni auro & argento in regulos 3. vel 4. reſiduas ſcorias ſeorſim etiam ad uſus ſuos, de quibus poſtea, reſervare decet.

Sequitur nunc modus ſeparationis auri & argenti ab antimonio.

MUltifariam purgari poſſunt prædicti reguli antimoniales: Et quidem primo follium beneficio in fictili plano, teſta nimirum, uti moris eſt apud aurifabros quando fundunt aurum per antimonium, qui labor tædioſus eſt & pericu loſus, qui abſque ſanitatis jacturâ crebro exerceri nequit, nec etiam in magna quantitate: quare cognitâ meliori, inconſultum hâc incedere viâ. Poſſunt etiam iſti reguli plumbi beneficio in teſtâ purificari, qui in magna quidem exerceri poteſt quantitate labor, ſed magnam etiam requirit copiam & plumbi & carbonum, ubi antimonium conſervari nequit: Poteſt autem fieri cum fructu, ac proin præferendus laboribus prioribus. Poteris ſi placet, regulos prædictos cum ſale communi torrere; & in cineres redigere, poſteaque fundere; quâ ratione facile elicitur aurum & argentum. Poteris eos etiam in crucibulo fundere, & ſalium quorundam ad-

jectione ab auro, argentoque ſeparare antimonium in ſcoriam converſum, quo ſeparato illa reperiuntur purificata & malleabilia. Qui etſi ſit modus omnium prædictorum facilimus, eſt tamen quoque admodum periculoſus, ſiquidem ſæpe ſalia, ſi non cautè proceditur, multum ſpoliant ☉ & ☽ quandoque etiam ☉ immalleabile relinquunt, ac proin laborem repetere faciunt.

Qui verò noverit hoc præſtare per nitrum unicum & ſolum, ille poterit magno cum lucro & quidem brevi temporis ſpatio magnam prædictorum regulorum copiam purificare, abſque jactura auri, argenti & antimonii. Sunt & alia media, quibus hoc præſtari poteſt, quæ omnia & ſingula recenſere tædioſum eſt & impoſſibile: quare unicum ſaltem, omnium optimum apponam modum, utiliſſimum nimirum ingentem regulorum copiam ſeparationibus. Ubi primo requiritur peculiaris aliqua fornacula, foco prædita, ſimilis ferè illi quæ continetur in Prima Parte fornacum noſtrarum Philoſophicarum, florum ſublimandorum gratia extruendæ; carens autem craticula, particeps verò reſpiraculis carbonum accendendorum causâ, ut antimonium ab auro ſeparatum ſublimari ſive elevari queat ſurſum in ollas ſublimatorias. Qua rite extructâ & calefactâ, tantum cochleari injiciendum de regulo, quantum focus ferre poteſt, qui brevi liqueſcet, paulatimque elevabitur vento attracto reſpiraculis ſine ullo negotio: quo ſublimato, plus injicere poteris, ſi plures habes regulos, donec omnes ab auro & argento fuerint ſeparati & ſublimati;

limati, relictis in foco puris & mundis & malleabilibus. Fornacula refrigerata poteris eximere flores, eoſque ad uſus ſuos, de quibus poſtea, reſervare: Qua ratione non ſolum licet ingentem regulorum numerum ab auro, argentoque ſeparare paucarum horarum ſpatio, ſed etiam totum conſervare antimonium, diverſimode uſurpandum porrò in Alchymiâ & in Medicinâ maximo cum emolumento. Quæ ſanè egregia ſcientia, quâ non ſolum honeſte, abſque proximi incommodo acquiritur abunde, unde vita ſuſtentari poſſit, ſed etiam innumeris ſuccurritur ægrotis, per medicinam nimirum præſtantiſſimam è floribus conficiendam; quæ ſpeciale donum Dei, pro quo ipſi grates debemus immortales. Atque hic eſt omnium, quotquot ſcio, modorum optimus ſeparationis auri ab antimonio, qui non ſolum in magna quantitate, brevi tempore, pauciſque perpetratur ſumptibus, ſed etiam totum abſque jacturâ conſervat antimonium.

Sequitur nunc uſus florum antimonialium.

PRimò poteris flores albiſſimos ex inferiori camerâ collectos ſeorſim aſſervare pro Medicinâ univerſali; reliquos verò minus puriores è reliquis collectos, denuo reducere in regulum cum ſale tartari, varijs uſibus deſtinatum, uti poſtea audietur; vel poteris ipſum miſcere cum æquali pondere ſulphuris communis, ſive antimonii, mixtaque in crucibulo cooperto fundere, & da-

& dabit antimonium naturali ſimile, faciens ad auri purificationem: vel poteris ipſos miſcere cum alijs metallis & mineralibus, ut hâc ratione in melius quid transmutentur: vel poteris ipſos in Chirurgia adminiſtrare, dant enim emplaſtra ſtictica omnium optima. In ſumma flores prædicti ſubtiliſſimi multifariam uſurpari poſſunt non ſine magno lucro & commodo.

Poſſunt quoque ſcoriæ prædictæ antimoniales redigi in flores, & prædicto modo uſurpari; qui aureis proprietatibus præditi, ſicuti etiam illi qui conficiuntur è regulis; quia enim fuſione illâ & ſeparatione auri è ſilicibus & talco extracti; aurum ſolummodò fixum & maturum fuit, à regulis ſeparatum, relicto immaturo & volatili in ſcorijs, quod poſtea in ſublimatione unà cum floribus ſublimatur & elevatur, ſequitur proin quod hi cæteris meliores ſint tam in medicinâ, quàm metallorum tranſmutatione.

Vel ſi vis, adjicias antimonio prædicto uſurpato ferrum vetus, reductionis gratiâ in furno, & accipies regulum, auro & argento non carentem; qui propterea uſurpari poteſt in aliis negotiis Chymicis, ubi opus eſt regulo, de quâ re poſtea. Scoriæ verò dant quoque regulum igne nimirum fortiſſimo in furno quodã peculiari ſeparatorio, abſtractionis beneficio, qui etſi non contineat aurum, uſurpari tamen poteſt non abſque fructu, utpote ſi miſcetur cum ♃ in fuſione, duritiem illi conciliat & clangorem pro variâ inde formandâ ſuppellectili, quæ non ita facile obſcuratur ſicuti ſtannum vulgare; vel ſi nolis, poteris inde conficere pondera.

Actum

Actum fuit hactenus de extractione auri è ſilicibus, & de ejus purificatione per antimonium; nunc etiam docebitur quomodo antimonium reſiduum uſurpandum ſit tàm in perfectione metallorum viliorum, quàm in Medicina, pro ſanitate hominis tam præſervandâ quàm morbis curandis.

Facta verò mentione Medicinæ alicujus univerſalis, conficiendæ ex antimonio prædicto modo uſurpato, nolim tibi perſuadeas eam eſſe talem, quæ omnes in univerſum abſque diſcrimine tollere poſſit affectus, quæ virtus ſoli adſcribitur lapidi Philoſophico, minimè verò per me huic Medicinæ; cui non plus attribuo, quam didici per experientiam: Hoc autem de eâ affirmare audeo in rerum veritate, huic vix aliam præter lapidem eſſe comparabilem; non enim ſolum eâ præſervatur corpus humanum à variis morbis, ſed etiam feliciſſime liberatur à præſentibus, ita ut merito Univerſalis dici mereatur.

Sequitur præparatio.

℞. Florum è ſcoriis præparatorum lib. 1. antimonii nimirum, cujus beneficio aurum extractum fuit purificatum; qui plerumque colore præditi flavo vel rubro, participes auri volatilis & immaturi: in quorum defectu accipe flores confectos è regulis aureis, albos nimirum ut plurimum; quibus affunde in phiolâ vitreâ forti colli prolixi, ſpiritus vini tartariſati lib. 3. vel 4. miſce ſimul & agita probe, & ſuperimpone fiſtulam

ſtulam aliam incurvatam (in cujus ventre collocantur aliquot unciæ ☿ vivi, qualis deſcripta in Quinta Parte fornacum Philoſophicarum) juncturas probe munito veſica bubula triplicata madida, qua areſacta, colloca vitrum in B. & adminiſtra ignem gradatim ad coctionem uſque ſpiritus vini cum antimonio, in qua relinque 24. horarum ſpatio continuo poſtea igne extincto, exime vitrum, ubi refrixerit, decanta ſpiritum rubro colore tinctum à floribus, recentemque reaffunde; denuòque ut antea colloca in B. coctionis gratia 24. horarum ſpatio, donec rubeſcat; atque tertiá quoque facito vice, vel toties donec vini ſpiritus non coloretur amplius, tunc enim nullus alius reaffundendus, & coloratus filtrandus per chartam emporeticam. Reſidui flores extractione factâ, utpote ad hoc negotium non requiſiti, ſeorſim ſerventur vel abjiciantur. Spiritus verò tinctus è cucurbitâ vitreâ per alembicum abſtrahendus à tincturâ uſque ad medietatem, qui denuò uſurpari poteſt in eodem negotio: tinctura verò in cucurbita reliqua eſt Medicina illa, cujus hic fit mentio.

Facta verò quoque mentione ſpiritus vini tartariſati, ut ſatisfaciam dubitantibus de illo, hic quoque dabo ejus deſcriptionem, ut ſequitur.

℞. Tartari lib. 20. vel 30. colloca in retorta ingenti loricatâ in arenâ, & lento ignis calore deſtilla ſpiritum. NB. Opus hoc celerius meliuſque peragitur per inſtrumentum illud fornacis noſtræ ſecundæ, & quia ingentes & ampliſſimos requirit recipientes utpote ſumme penetrativus, poteris

poteris primo collo retortæ applicare ſerpentem ſtanneum ſive cupreum loco recipientis, collocatum in dolio aquâ frigidâ repleto, ut refrigeratus inde retineatur ſpiritus quem poſtea è cucurbitâ vitreâ per alembicum ad medietatem uſque abſtrahere oportet, reliqua enim in cucurbitâ medietas cum oleo nigro, huic operi inutilis eſt, quare auferenda. Deinde oportet partem ſubtiliorem ſtillatam, miſcere cum medietate capitis mortui ad albedinem calcinati ſpiritus prædicti, & ad medietatem uſque iterum in B. lento abſtrahere, è cucurbitâ vitreâ per alembicum, quorum juncturæ ubivis locorum rite recteque ſint munitæ, & ſecum retinebit calcinatus tartarus fœtorem una cum phlegmate, ſtillante ſpiritus parte ſolummodo puriore & ſubtiliore, quæ denuo cum reliquâ medietate tartari ad albedinem calcinati miſcenda, & per alembicum recentem rectificanda. Caput mortuum calcinetur poſtea denuo fœtoris ablationis gratiâ, ut uſurpari poſſit iterum. Atque hic eſt ſpiritus ille vini tartariſatus, cum quo prædicta extrahitur tinctura & eſſentia, & quidem non ſolum hæc, ſed etiam cunctorum metallorum aliorum omnium id quod nullus præſtare poteſt alius. Etſi liceret poſſem aliquid aliud ſcribere de mirabili ejus vi & facultate, quam exſerit in purificandis metallis vilioribus, cum quibus magnam habet affinitatem; ſeparare enim poteſt purum ab impuro, de quâ re alibi plus. Adminiſtrandus verò in metallorum emendatione, tantâ non opus habet rectificatione, quanta requiritur in medicinarum

metalli-

metallicarum extractione; ubi ipſum in copiâ elicere licet ex vini ſedimento arido. Cæterum eſt & alius vini ſpiritus tartariſatus, quem in eodem hoc negotio adminiſtrare quoque licet, qui ſequenti paratur modo. Solve in lib. unâ ſpiritus vini uncias 6. criſtallorum tartari; quâ poſtea ſolutione utere in extractione prædictâ modo prædicto.

Admonitio.

NOlim te offenſum iri ſimplicitate præparationis, hujus nimirum Medicinæ, è re abjectâ & viliſſima factæ ſine magno ingenii acumine. Noli dicere tecum, ſi res ita ſeſe habet, quod viâ tam facili Medicina tam egregia & excellens impetrari poteſt, quid opus eſt tantarum decoctionum diverſarum, pretioſarum & nauſeabundarum apparatu; quare, non illa harum loco ſubſtituitur? Certe rectius hæc loco illarum ſubſtitueretur. Sed quis adeò audax, qui audeat turbam illam defendentem ejuſmodi decocta, lædere & offendere? Nemo ſanè; ſunt etiam pauci, quos avertere licet ab antiqua conſuetudine. Antiquus igitur, quantumvis emendandus prævalet mos. Utinam aliquando approximaret tempus, quando medici medicinam facturi eſſent non ex avaritia, ſed commoti ex charitate, quæ debetur proximo, optatum nimirum ægrotis & ſolatii plenum.

Quod autem attinet ad vires tantæ Medicinæ, patefaciam illas junioribus me imperitioribus,

non

non autem me doctioribus ſenioribuſque, ſalvo tamen uniuſcujuſque judicio.

De viribus hujus Medicinæ.

HÆc antimonialis Tinctura præ cæteris Medi-nis mirifice evacuat cunctos vitioſos humores, & inſenſibiliter purgat ſanguinem immundum; aperit obſtructiones quaſvis hepatis, lienis, renum, aliorumque viſcerum humani corporis, attrahens cunctas inde malignitates, nullaſque ibi relinquit impuritates. Et quia ſanguinem mundificat, lepram curat, & morbum Gallicum, ſcorbutum, nec-non alios à ſanguinis profectos impuritate morbos. Vi ſua penetrativa & attenuativa reſolvit cunctos humores tartareos & evacuat generantes podagram, renum & veſicæ calculum; non autem tartarum perfectè coagulatum, dolores inde profectos ſolummodo mitigans, & incrementum ejus prohibens; attrahens nimirum & evacuans è cunctis viſceribus ſaltem nondum induratum & coagulatum radicitus & fundamentaliter. Quaſvis etiam tollit febres, aliosque à ſuperfluitate profectos morbos humorum. Suaviter aquam intercutem evacuat per alvum & urinam. In ſumma roborat & purgat partes principales, eaſque præſervat ab omnibus accidentibus præter-naturalibus. Præſtantiſſimum eſt præſervativum tempore peſtis, nec-non aliorum morborum contagioſorum; correptorum verò eſt remedium curativum excellentiſſimum, malignitatem à corde ſubito propellens &

avacuans. Paucis; Medicina eſt univerſalis & præſtantiſſima omnium; utiliſſima ſenibus atque juvenibus, uti etiam tutiſſima; cautè tamen adminiſtranda propter vires, quibus prædita potentiſſimas, eſt enim inſtar ignis alicujus majoris, ignem extinguentis minorem. Melior ſanè optari nequit Medicina, hâc nimirum, quæ elicitur è re viliſſimâ temporis ſpatio brevi, ſumptibus & laboribus exiguis abundanter. Ingenuè fateor, ſimilem mihi nunquam fuiſſe viſam, quam non dubito omnium eſſe optimam. Quare præter hanc quæramus aliam, præſtantem nimirum, quæ à verâ deſiderantur Medicinâ? Sed ut ut ſit præſtantiſſima, certus tamen ſum, plurimos errantium offenſum in illâ, utpote ex Antimonio re viliſſimâ & deſpectâ, viâque ſimpliciſſimâ præparata. Sed nihil intereſt, *Mundus enim vult decipi*, reſpiciens ſplendida & abjiciens ſive deſpiciens vilia; cùm tamen omne bonum, imò ipſe Deus gaudeat ſimplicitate, propter quam ab impiis & ſuperbis non quæritur hominibus. Sed hoc peccato imputandum quod nimirum homo adeò cæcus ſit in cognitione boni coram oculis poſiti, improbitatis ſtudioſus.

De uſu & Doſi hujus Medicinæ.

QUia omnium Medicinarum eſt potentiſſima; operæ pretium eſt, ut cautè adminiſtretur, ſemper enim majore tutior eſt doſis minor, quam proin ſæpius repetere licet; id quod obſervandum in omnibus morbis ſenum atque juvenum.

num. Puerulis 2. 3. 4. 6. menſium, contra lumbricos, ſcabiem, febres & epilepſiam, adminiſtrari debet non niſi guttula dimidia cum appropriatis vehiculis, quam tertia vel quarta repetere licet die: necat lumbricos, evacuat è ventriculo pravos humores; recreat puerulos; præſervat à ſcabie; & quia pravos & vitioſos evacuat humores, præſervat à variolis & morbillis, ſi nimirum ſingulis menſibus uſurpatur ſemel. Puerulis verò 1. 2. 3. annorum, adminiſtrare licet guttulam integram. Puerulis 2. 3. 4. 5. annorum gruttula una cum dimidia. Adultis verò, ab anno 15. uſque ad annum 24. adminiſtrari poſſunt gutt. 2. 3. 4. Robuſtioribus ab anno 25. uſque ad annum 50. gutt. 4. 5. 6. 7. Oportet autem ſemper major vel minor adminiſtrari doſis habitâ ratione patientis & ægritudinis. Et quidem in calculo & podagrâ quotidie adminiſtrari poſſunt aliquot guttulæ cum vino vel cerviſiâ, mane nimirum jejuno ſtomacho; niſi admodum ſit infirmus patiens; tunc enim doſin repetere licet tertia vel quarta die, atque id continuare uſque ad finem curæ perfectæ; ubi, id quod obſervandum, temperans requiritur diæta.

In leprâ, morbo Gallico & ſcorbuto, adminiſtranda quotidie mane doſis una, & radicitus tolletur morbus: aliàs viribus nimirum nimium fractis & labefactatis, oportet doſin repetere alternis diebus, tamdiu nimirum quandiu fuerit opus.

In epilepſia adminiſtratur quotidie; ſic etiam in hydrope. In omnibus febribus duabus vel tribus

bus horis ante paroxyſmum. In peſte ſtatim adminiſtranda doſis, quam quotidie repetere oportet: Præſervationis verò gratia ſingulis ſeptimanis propinatur ſemel.

In omnibus aliis affectibus interioribus oportet ut in principio quotidie adminiſtretur doſis una uſque ad declinationem morbi; poſtea enim paulatim minus adminiſtrandum de Medicina uſque ad finem morbi.

In exterioribus, utpote vulneribus recentibus, cæſim, punctim, vel bombardarum globulis inflictis; oſſium fracturis &c. quotidie ſemel; cum neceſſaria emplaſtrorum applicatione extrinſeca. In antiquis fiſtuloſis & cancroſis, etiam ſemel poteſt quotidie intrinſecè adminiſtrari, extrinſecè verò balſamis & unguentis mineralibus malum quoque mundificare oportet. Hâc enim ratione omne malum inveteratum, quantumvis deſperatum, radicitus & fundamentaliter curatur, ſuaviter abſque omnibus doloribus.

Quantumvis autem hæc omnium Medicinarum ſit præſtantiſſima, datur tamen menſtruum aliquod, non corroſivum, cum quo non ſolum facilius quam cum vini ſpiritu tartariſato, Medicina extrahitur univerſalis ex antimonio, majoribus etiam illa prædicta viribus prædita, ita ut cum unius imperialis pretio, trium dierum ſpatio, tanta impetrari poſſit copia, quanta requiritur ad curationem aliquot mille hominum; ſed etiam cuncta vegetabilia, animalia, mineralia & metalla radicaliter ſolvuntur, & reducuntur in primam materiam: qua ratione non ſolum maxima ve-

ma venena tranſmutantur & convertuntur in Medicamina ſaluberrima; ſed etiam amara privantur amaritudine ſuâ: quinimò illius beneficio adeò corriguntur, ut non amplius excitent ſedes & vomitus, cathartica vehementiſſima, tranſmutata in renovantia præſtantiſſima: fœtida etiam illius beneficio correcta ſuavem adipiſcuntur odorem. Non autem ſolum (id quod mirabile) ſolvit vegetabilia, animalia & mineralia, indeque profecta, ſed etiam ipſa vitra; quare fortiſſima ſemper eligenda vitra pro digeſtione & ſolutione, vel in defectu illorum, viliora renovanda quovis 6. horarũ ſpatio. Præterea non omnino prorſus alteratur à rebus à ſe reductis in primam materiam, & in medicamina converſis, neq; viribus, neque colore; ſemper enim medium occupat locum inter purũ & impurum, quorum hoc petit fundum, illud verò innatat menſtruo quod poſtea denuo uſurpari poteſt. In ſummâ vires ejus omnes in præparandis Medicaminibus deprædicari ſatis nequeunt. Comparari verò poteſt cum aqua Baſilij Valentini Mercuriali; Paracelſi & Helmontii Alcaheſt, quod ego ſtatuo eſſe *Macchabæorum ignem*, in aquam converſum in foveâ ſubterranea ſpiſſam. Eſt ignis perpetuus, non tamen ardens viſibiliter; aqua eſt permanens manus non madefaciens, ſapo ſapientum, Philoſophorum Azoth, & balneum regium.

Quod etſi menſtruum jam aliquot annorum ſpatio cognoverim, illudque ſæpe in metallicis uſurpaverim, illiuſque beneficio varia ſecreta indagaverim, nunquam tamen cogitavi de illius

uſu Medico, donec aliquando interrogatus à ſtudioſo quodam ſcriptorum Helmontii, utrum liquoris *Alkaheſt* Paracelſi ſcirem præparationem, nonnullas iſtius liquoris mihi virtutes in præparandis medicaminibus enumeraret; rem mecum perpendere cœperim, & animadverterim *Balneum* eſſe meum *ſecretum*, metalla purificans. Quare ſtatim feci periculum cum vegetabilibus & animalibus (virtus enim ejus in metallicis me non latebat) & res miras & ſtupendas in illo reperi, mihimet ipſi olim incredibiles. Ajo igitur & ſincere fateor, omnia & ſingula ab aliis, uti etiam a memet ipſo inventa & publicata remedia quantumvis rara & cara, nunc temporis eſſe viliſſima in adſpectu oculorum meorum. Defuit enim nobis olim *Clavis* illa *univerſalis*. Vegetabilia enim noſtra, ſicuti & mineralia & animalia, quantumvis per artem macerata, perfecte reſolvi non potuerunt, quare nec illorum vires integras, ſed particulares ſaltem habuimus hactenus. Nunc autem non opus magna arte, multiſque laboribus & ſumptibus, integrum aliquod corpus, abſque corroſivis, reducere in primam materiam, ſpeciem ferentem liquoris alicujus clariſſimi & elegantiſſimi, ſponte terreſtreitatem ſuperfluam rejicientis, & vergentis in Medicinam ſaluberrimam, conſtantem è tribus principiis puriſſimis: id quod abſque hoc fieri nequit menſtruo. Quid enim olim aliud ex herbis elicere potuerunt Medici, præter ſyrupos, electuaria, conſervas & aquas? quibus præparationibus non emendantur, ſed ſaltem qualificantur herbæ

ſacchari

ſacchari & mellis additione; quia nulla fit ſeparatio puri ab impuro, nec boni à malo: mixta enim ſimul omnia relinquuntur in electuariis & conſervis, in ſyrupis verò & aquis deſtillatis retinetur ſolummodo pars aliqua. Extracta per vini ſpiritum, non contemnenda quidem rite parata, meliora tamen ſive præſtantiora non ſunt ſuis ſimplicibus; quæ præterea privantur illis, quæ extrahi non potuerunt per vini ſpiritum: quorum etſi remanentia calcinatur, ſalis extrahendi gratia, miſcendique cum extracto, non tamen id magni alicujus eſt momenti: ignis enim vires deſtruit herbarum, ita ut ſalia fixa, utut cryſtalliſata, nihil præſtent in Medicina, illis tamen exceptis, quæ abſque combuſtione, è ſucco conficiuntur herbarum, de quibus in Parte Tertia Fornacum Philoſophicarum. Cæterum nemo eſt qui audeat efficaciſſimas extrahere herbas pro Medicina, quia eæ in præparatione non corriguntur & emendantur.

Hâc autẽ ratione herbæ efficaciſſimæ, quæ abſque hac præparatione non niſi venena ſunt, maturantur & purificantur per liquorẽ Alkaheſt, ita ut tuto propinari poſſint adverſus morbos, graviſſimos. Non enim Deus has creavit fruſtra herbas, uti nonnulli opinantur, quas propterea creavit, ut inde appareant mirabilia ejus, item eſſe poſſibile auferre maledictionem per hominem aliquem, maledictione privatum regeneratione per Chriſtum. Ecce! opium, Mandagora, cicuta, hyoſcyamus, aliaque ſtupefacientia, quam læthalia ſint incaute adminiſtrata? Quæ hoc men-

ſtruo correcta præſtantiſſima evadunt medicamina & tutiſſima. Quàm periculoſa ſit Eſula, ſcammoneum item, nec-non catapotia, helleborus, gummi gutta, aliaque fortiſsima cathartica (incaute adminiſtrata) nemo eſt qui ignoret; quæ hac corriguntur ratione, & in ſaluberrima convertuntur medicamenta. Quis quæſo audet devorare napellum venenatum, fungoſque venenatos nec non alia vegetabilia venenata? quæ ſingula corriguntur ita per liquorem Alkaheſt, ut non ſolum, non ſint venenata amplius, ſed etiam tranſmutentur in Medicinas efficaciſsimas & ſaluberrimas plurimorum morborum. Nuces vomicæ, cocculi de Levante, aliaque mentem abalienantia, ſalubria redduntur hâc quoque ratione. Animalia quoque venenata, utpote araneæ, bufones, ſerpentes, viperæ &c. corriguntur ita, ut non modo non venanata ſint amplius, ſed venenis etiam reſiſtant, eaque expellant. NB. Conſidera araneas cruce ſignatas, exuvias ſingulis deponentes menſibus, ſeſeque renovantes, quod ſerpentes & halcyon non niſi ſemel faciunt in anno. Quanta ſit virtus vermium majalium & terreſtrium crudorum, in reſolutione humorum tartareorum & luis Venereæ, ſunt qui non ignorent, quid quæſo præſtabunt hoc correcti menſtruo? Cantharides & millepedes ita etiam corriguntur, ut tutius adminiſtrentur in provocandâ urinâ. Et ſi haberetur venenatiſſimus ille Baſiliſcus, de quo perhibent fabulæ, quod vel viſu ſuo interimat homines (id quod ſecundū literam falſum) eſſet tamen ille convertibilis in Medicinam

per liquorem Alkaheſt; ſicuti poteſt Baſiliſcus ille mineralis, pulvis tormentarius, in momento innumeros interficiens homines; arſenicum, auripigmentum, Koboltum & alia; ita ut priventur ſuâ malignitate, & redigantur in medicamina optima. In ſummâ egregias ejus vires, quas præſtat in corrigendis ſimplicibus venenatis, effari non poſſumus. Quare operæ pretium eſt ſummis ipſum indagare viribus, ut optima Medicamenta elaborare poſſimus; ne ita per ipſum ægroti tædioſis illis & amaris poculis crucientur in poſterum. Ego ſane mirari ſatis nequeo vires ejus maximas tamdiu abſconditas. Non eſt corroſivum quid, & tamen diſſolvit & reſolvit res cunctas, unam tamen alterâ citius. Tranſmutat & emendat vires illarum naturales; quare ſolamen eſt Spagyrorum fruſtra jam diu quærentium Medicamenta optima, ſummonum, quo vegetabilia ſeparantur & corriguntur, nec-non animalia & mineralia. Quare ſinguli ſibi commendatam habeant Medici ejus præparationem conſcientioſi medicamentorum parandorum gratiâ, beneficio nimirum hujus Menſtrui Univerſalis; cujus origo & præparatio viliſſima, vires verò efficaciſſimæ, inventio autem & uſus abſtruſiſſimus. Quare non niſi *Divinitus*, unde omne donum bonum proficiſcitur, impetratur: Nolim igitur tibi perſuadeas, crapulam & ebrietatem, otium & ſuperbiam, nec-non mendacium, proximique contemptum, odium & avaritiam, vitamque impiam eſſe media quibus impetretur, *quia ſolius Dei donum eſt miſerentis,* hoc nimirum menſtruum

ſtruum, cujus clavis & janua ſola miſericordia divina. Sed ut ſcias quid de medicamentis ſtatuendum paratis è ſimplicibus venenatis, decrevi id paucis exponere exemplariter: Cuncta vegetabilia nimirum, animalia & mineralia, venena vocata, inſidias vitæ humanæ ſtruentia, intrinſecè adminiſtrata, ac proin haud immerito ab omnibus vitata, ſunt inſtar hoſtis cujuſdam potentiſſimi & inſuperabilis, omni conatu quærentis contrarii ſui oppreſsionem & interitum; quo per mediatorem haud minorum virium reprehenſo & cum contrario ſuo reconciliato; non amplius habet, olim ante reconciliationem ſui hoſti potentiſsimo reſiſtere impotens, quod ſibi metuat contrarium ab hoſte ſuo, facto nunc illius amico & ſuppetias illi ferente adverſus alios inimicos ſimiles invincibiles, exſtirpandos, & profligandos. Ita etiam ſeſe res habet cum vegetabilibus, animalibus & mineralibus venenatis, inſidias ſtruentibus vitæ humanæ, quæ per liquorem *Alkaheſt*, (reprehenſorem & reconciliatorem) correcta eò rediguntur, ne amplius noceant, malignitate privata, humanæ naturæ amica reddita: quo facto non amplius venena ſunt inimica, ſed ſaluberrima tutiſsimaque remedia, humanæ naturæ conſentanea adverſus alios ejuſdem farinæ hoſtes evincendos & expugnandos, inſuperabiles aliàs & venenatos; quo enim major ante reconciliationem hoſtis, eò major poſtea opem ferens amicus factâ reconciliatione nimirum. Non igitur ſimile reperitur in naturâ rerum, quod poſsit tam ſubito corrigere venena, eaque reducere in mate-

materiam primam, & in ſaluberrimas redigere eſſentias. Capiant igitur hoc medici religioſi & pii, qui poſſunt. Atque ſic finem faciam hujus declarationis (non ſine causâ appoſitæ) moturæ proculdubio animos nondum induratos. Hæc ſanè vera eſt correctio Philoſophica, quâ id quod malignum eſt tranſmutatur in ſubſtantiam ſalubrem. Quæſo quid prodeſt correctio illa, quæ fit admixtione rerum aliarum; utpote in mixtione catharticorum & cordialium? nihil; nec aliud agere poſſunt cordialia, quàm debilitare cathartica: non enim ſimul & ſemel natura valet expellere purgans venenatum, & attrahere confortativum ſive corroborans: Adminiſtrato enim aliquo purgante, ſtatim exſerit illud in corpore ſuã malignitatem, cui natura reſiſtens conatur expellere hoſtem; antequam amicum confortativum attrahere poſsit; quare unà cum hoſte expellitur amicus. Idem etiam accidit in mixtione ſacchari, mellis, aliorumque dulcium cum amaris, acidis, auſteris &c. quorum ingratitudo non corrigitur, ab admixtione dulcium, ſed ſaltem obtunditur inde alium acquirens odorem & ſaporem; abſque ullâ aliquâ alteratione eſſentiali. Quæ correctio ſimilis eſſe videtur illi, quæ fit in tabernis per fumos odoratos corrigendi aëris gratiâ infecti à ruſticis inebriatis ſpuentibus, vomentibus & pedentibus: quæ quidem grata ruſticis correctio, attrahentibus ſive haurientibus ingratum unà cum grato aromatico fœtorem odore, ebrietate judicio privatis; non verò item ſobriis qui mentis ſuæ compotes ſunt; cui ruſtica illa videtur

cor-

correctio. Hoc eodem modo (non laudando) hodie corriguntur ſimplicia. Vera autem & Philoſophica correctio fit per ſe abſque additione rerum alienarum, ſolius ignis beneficio tam actualis, quàm potentialis humidi, maturando, emendando & ſeparando malignum; qualis fit per *liquorem Alkaheſt*, à Paracelſo ſic vocato & Helmontio.

Utrum verò hoc meum Menſtruum ſit liquor ille Alkaheſt Paracelſi & Helmontii; nihil intereſt, ſi modò eadem præſtat.

Ignis igneaque potentia multum poſſunt, ſed non comburens & deſtruens; maturans autem, nutriens; fovens & humectans. De quo igne humido videatur Artephius, Bernhardus, Baſilius, Paracelſus &c. Maturatio enim non fit frigidis, ſed calidis, germinationem promoventibus. Et quicquid natura reliquit imperfectum in regno vegetabili, minerali & animali, accidentaliter nimirum; id arte emendari poteſt beneficio liq. Alkaheſt, qui correctionis medium optimum, donec artis beneficio, auxilioque naturæ aliquid melius indagare licuerit &c.

Atque hæc ſunt virtutes liquoris iſtius Alkaheſt mirabilis, quas exſerit in præparatione medicinarum: Et quia ſupra dictum, quod etiam in metallicis ſuas exeret vires, nequivi celare illas, coram artis ſtudioſo. Non autem omnes & ſingulæ vires ejus recenſentur hîc, pluribus enim præditus ille, quas omnes & ſingulas enumerare nemo mortalium poteſt.

Ad me quod attinet, etſi divinâ favente gratiâ, in-

inſtructione Paracelſi viri mirabilis (egregie illum loco quodam, à paucis tamen obſervato; paucis quidem, attamen clariſſimis apertiſſimiſque deprædicantis & nominantis verbis) cognitionem illius adeptus, quam poſtea indies magis ac magis tot experimentis auxi, ita ut vix crediderim, unquam quenquam alium tot ſumptus, & tot labores exantlaſſe in indagatione virium illius, rerum metallicarum explorandarum gratiâ. Fateri autem cogor quamvis forte majus in ipſo fecerim periculum quam unquam quis alius, plurimas tamen adhuc latere me vires illius abſconditas & ſecretas; animadvertens vires ejus & virtutes omnes & ſingulas per unũ aliquem hominem explorari non poſſe ob vitæ brevitatem, quærentem etiam & indagantem 100 annorum ſpatio; patremque miſericordiæ paucis quibuſdam, particularem ſolummodo quandam illius dare cognitionem virium ſtupendarum & incredibilium, ad nominis ſui divini gloriam, in gratiam pauperum ægrotorum, quam nemo quantumvis literatus, ambitioſâ ſuâ eruditione & aſtutiâ nemo comparare ſibi poteſt. Datis igitur à patre luminum Deo omnipotente, quibuſdam ejuſmodi maximi momenti donis, paucis nonnullis ſuis filijs, gratis ex ſolâ miſericordiâ, certis nimirum de cauſis, facile crediderim, non eſſe voluntatem ejus, quod diutius reticeantur, ſed tandem aliquando toti revelentur terrarum orbi ad nominis ſui divini gloriam, & proximi egeni noſtri commodum. Quare linguam fænare nequivi amplius, coactus talentum, quod accepi gratis,

quam-

quamvis exiguum, gratis etiam communicare proximo; ita tamen, ne tanta myſteria divina impetrentur ab impiis illis abutentibus, ſed à dignis ſolummodo diviná favente gratiâ. Ajo igitur expreſsè, ſimile in totâ naturâ non reperiri, quia illius beneficio non ſolum cuncta vegetabilia, animalia & mineralia, rediguntur in præſtantiſſima & ſaluberrima medicamenta; ſed etiam in primam reducuntur materiam, mineralia atque metalla purificantur, abluuntur & figuntur, atque adeo in meliora corpora rediguntur. Id quod admiratione dignum, quod in ſubjecto viliſsimo & abjecto tantæ delitеſcant vires, cujus beneficio, poſthabitis omnibus aliis artibus, ſolum & unice acquiri poſſunt opes & honores, nec-non amiſſa ſanitas. Qua quæſo re homo mortalis magis indiget in hâc miſeriâ, præter verbum divinum nimirum, animæ ſolatium, quam neceſſariâ vitæ ſuſtentatione, ſanitate proſperâ, & honeſtâ famâ coram Deo & hominibus? Hæc omnia hujus ſubjecti beneficio habere licet, ita ut non opus ſit amplius intricari ullâ aliâ aliquâ arte aut vanitate hujus mundi, habito hoc ſecreto, quo abunde impetrari poſſunt cuncta neceſſaria: quo (dono) indignum eſſe mundum immundum, candide ajo & perhibeo, avaritiâ nimirum & ambitione turgidum; pro quo, Deo datore, gratias debitas retribuere per omnem noſtram vitam non valemus. Quare omnes & ſingulos, cujuſcunque ſtatus & ordinis ſedulo admonitos velim, ne divinitus impetratum donum ad animæ perditionem, ſed gratitudinis ergo, erga datorem, uſurpare

ſurpare ad nominis ejus gloriam, & proximi Chriſtiani commodum, omnem moveant lapidem.

Sequuntur nunc vires, quas exſerit in Metallicis.

PRimo ſolvit hoc nimirum Menſtruum Philoſophicum, cuncta mineralia & metalla ſine ſtrepitu radicaliter, redigitque in medicamina ſalubria efficaciſſima; Ex ☉ facit, ☉ potabile; è ☽, ☾ potabilem; & ſic conſequenter ex aliis metallis, metalla potabilia; ita ut merito *Mercurius* dici mereatur *univerſalis*.

Secundo purgat, lavat & in meliores ſpecies tranſmutat hoc ſecretum menſtruum mineralia atque metalla, quare haud immeritò appellatur *ſapo ſapientum*, quo veritas dicti Philoſophici confirmatur: *Ignis & Azoth abluunt Lathonem.*

Tertio ipſius beneficio cuncta maturantur & figuntur mineralia atque metalla, ita ut poſtea ☉ & ☽ immaturum, iis incorporatum, cupellationis beneficio, cum fructu poſsit elici; quare merito Hermetis comparatur ſigillo. Quarto Metalla reddit volatilia, & radicaliter conjungit, ita ut ſimul permaneant, unumque in alterum agat in igne; deſtruit & revocat, mortificat & vivificat; quare Philoſoph. Phœnici comparatur.

Quinto ſeparat metalla mixta, abſq; ullâ aliquâ jacturâ, & quidem celeriter: ſed longe aliâ ratione quam menſtrua corroſiva; ita ut ſingula ha-

beantur

beantur ſeorſim. Ex. gr. Separaturus ☉. ☽. ♀. ♂. ♃. & ♄. mixta; vel 2. 3. 4. mixta, ita ut ſingula ſeorſim appareant, abſque ullâ aliquâ alicujus jacturâ, non opus habet mixturam cum ♃. cupellare; quâ ratione ſolum ☉. & ☽. impetratur cum jacturâ reliquorum: hâc verò viâ omnia & ſingula conſervantur, quâ per vices unum poſt alterum extrahitur mirabiliter & celeriter, ſpatio ½ horæ unius nimirum, per acetum hoc Philoſophicum acerrimum &c.

Sexto poſſunt illius beneficio ſubito metalla deſtrui, & redigi in vitra tranſparentia, irreducibilia, & amauſis ſimilia, ſervatâ tamen uniuſcujuſque metalli naturâ & proprietate: quæ in reductione ☉ dant & argentum perfectum: quâ re confirmatur dictum Philoſophicum: *Unius corruptio eſt alterius generatio*; nec-non illud Paracelſi: *Ex Aliquo fiat Nihilum, & ex Nihilo Aliquid.* Cæterum oleum hoc incombuſtibile, ſive aqua permanens demonſtrat veritatem ſcriptorum Philoſophicorum, unanimiter perhibentium; ſolutionem ſuam, putrefactionem, deſtillationem, ſublimationem, circulationem, aſcenſionem, deſcenſionem, cohobationem, incerationem, calcinationem, coagulationem, fixationem, fermentationem &c. in opere ſuo unâ fieri vice, uno vaſe, unâque viâ: in quâ unicâ operatione colores apparent cuncti, quorum Philoſophi faciunt mentionem; utpote caput corvi, lac virginis, ſanguis Draconis, cauda pavonis, leo viridis & leo rubeus &c. Demonſtratur etiam per illum (*liq. Alk.*) veritas dicti Hermeti-

ci: *Quod eſt inferius eſt ſicuti id, quod eſt ſuperius &c.* Varia etiam alia illius beneficio perpetrantur, utpote ſecretus ille Chalybs Sondivogianus; nec-non diu illud Talci quæſitum oleum.

Huc uſque Lector benevole pervenit experientia mea; nec dubito quin divinâ gratiâ, illius beneficio, ipſum univerſale *Salamandra* in igne permanens impetrari poſſit.

Vera ſunt quæ ſcribo ſine fallacia.

Etſi hoc ſecretum, ignaris incredibile ob ſtupendas quas exſerit vires in pręparatione Medicinarum, libentes communicarem mundo, publici commodi gratiâ; conſultum tamen non eſſe duxi certis de cauſis illud publicare. Sed ne periret ſcientia, & vera iterum, fere extincta Medicina, morborum curandorum gratiâ vulgo incurabilium floreret, & Philoſophica veritas confirmaretur, revelavi Secretum illud Menſtruum duobus amicis, ejus nimirum præparationem & uſum.

Noli autem opinari, me ſcribentem arduis hiſce de rebus, intendere Secretum omnibus & ſingulis indifferenter facere commune; non ſic, ſed conor quærentem confirmare, ipſique dare anſam indagandi ſedulo hoc Secretum; quo invento veritatem verborum meorum non modo videbit, ſed longe etiam hiſci majora, aſſiduâ exercitatione adipiſcetur.

Et quia nunquam ad opes & honores adſpiravi vanos, nec unquam adſpirare conabor; facile perſuaderi potui, alijs labores meos relinquere

improbos, mundo nondum exoſis immundo; quia ingraveſcentis ætatis factus tædio capior laborum, ejuſmodi tædioſorum. Præterea aliam mihi Philoſophia monſtravit viam, ita ut decreverim abſtinere pro virili ab ejuſmodi vanitatibus, & quærere bonum perpetuum, vitamque tranquillam. Non tamen deëro conſilium à me petentibus; Præter prædictas rationes, motus quoque fui hinc, quod innumeros viderim laborantes, Philoſophos putatitios, tam literatos quàm illiteratos, dies noctesque indeſinenter operantes, oleum & operam perdentes, ac proin deſperantes prorſus ſibi perſuaſos, nihil veri in ſcriptis Philoſophicis contineri, refertis mendaciis & fallaciis; unde factum, quod male audiat regia Chymia.

Viſâ verò & animadverſâ priſcorum ſcriptorum veritate infallibili, injuriam ferente à Zoilis imperitis; intermittere nequivi, quin famam eorum pro virili defenderem, & ab injuriis vindicarem, verbis nimirum paucis demonſtrando metallicæ tranſmutationis poſſibilitatem. Non autem affirmo artem, à me multis jam annis exercitam, defendente poſſibilitatem ejus, ingentesque me inde comparâſſe divitias; quia hactenus nihil agere licuit aliud, quàm in parvâ quantitate periculum facere poſſibilitatis inveniendæ, ſine lucro aliquo, & quidem ſolummodo particulariter; Si quidem nihil unquam tentavi in opere univerſali, reſervato temporis & loci opportunitati meliori. Non autem negaverim Medici-

nam

nam ejuſmodi univerſalem: vidi enim principia, artis fundamenta, quare amotis obſtaculis curæ domeſticæ, decrevi tandem aliquando hujus rei facere periculum. Quis enim de poſſibilitate, à clariſſimis viris (etiam Regibus & Principibus) comprobata dubitabit amplius?

Qui homines pii & honeſti, lucri causâ, non ſcripſêre; quorum etſi nonnulli vixerint olim cum ethnicis, Ethnici tamen illi fuêre minime qui, Chriſti cognitionem habuêre majorem, è naturæ lumine, quam obtrectatores illi veritatis Chriſtiani putatitii, ſicuti patet ex illorum ſcriptis. At infers; Si ſcripta eſſet veritas in illorum libris, utique eſſet in iis reperibilis: atqui non eſt, quia fere omnia & ſingula in praxi non ſuccedunt, ſed fruſtra teritur tempus, fruſtraque exantlantur tempus & labores. R. Illorum non ſecundum ſyllabam intelligenda ſcripta, ſed ſecundum ſenſum occultum, ſecundùm quem ſcripsêre veritatem meram, illuminatis conſpicuam.

Et ſolum hoc ſufficit Menſtruum abſque tranſmutationibus metallicis, Philoſophorum ſcripta defendere; ita ut firmiter credam, tempus appropinquaſſe, quando Deus omnipotens, antequam igne judicet mundum, omnipotentiam ſuam demonſtrabit ſeculo, revelatione nimirum mirabilium naturæ, hactenus incredibilium; quorum non infimum tranſmutatio metallorum, quam in Parte Tertiâ operis hujus mineralis ſeculo ultimo tradam (à Deo acceptam) in proximi commodum, veritatis demonſtrandæ gratiâ. Quare

talia nunc miſſa faciam, ſpe fretus firmâ, fideliſſimam hanc admonitionem, loco veritatis infallibilis acceptum iri & indubitatæ.

Quomodo prædictus regulus, florum & ſcoriarum antimonialium uſurpandus in emendatione metallorum viliorum, nunc quoque docebo, ita tamen ne abuſu profanetur ars.

MUltum poteſt Regulus antimonialis, ceu humor radicalis metallicus, quo mira præſtari poſſunt. Redactus enim in aquam abſque corroſivo, cuncta reſolvit metalla, mundificat, lavat & maturat illa, & in meliores ſpecies convertit, ita ut particulariter inde non exiguus percipiatur fructus. Quomodo verò in aquam reducetur, & quomodo illius aquæ beneficio ſolvantur metalla, volatiliſentur & figantur denuo, luculenter fuit demonſtratum per Artephium, Baſilium & Paracelſum; quare non opus eſt illorum hic repetere ſcripta, ad quæ Lectores relegatos volo.

Cæterum non ſolum regulus, ſed quodvis etiam antimonium multifariam uſurpari poteſt in ſeparatione metallorum, auri nimirum occulti extractionis gratiâ, quod aliàs ſine antimonio fieri nequit; uti è ſequenti patebit exemplo: Inventâ marcaſithâ aliquâ, vel alio quodam foſſili ferreo invento, morem non gerente plumbo; ad-

de illi

de illi partes tres antimonii, probéque mixta funde in crucibulo cooperto, fuſa effunde in conum; & ubi omnia refrixerint, ſepara regulum, quem prædicto modo foci beneficio purga; & reperies ☉ in prædicto foſſili contentum: Etſi illud auro copioſiore præditum; non omne unâ elicitur vice, primo nimirum regulo, quare alius quoque fundendus additione novi ferri & ſalis petræ, qui quoque aureæ naturæ regulus. Etſi foſſilia iſta marcaſithea ferrea non fuerint, oportet illis in primâ fuſione adjicere ferrum & nitrum, aliàs enim regulum non dant. E ſcoriis additione pluris ferri conficitur plus reguli, iiſdem uſibus deſtinati cum illo, de quo ſupra in fuſione & ſeparatione auri extracti; confici quoque pondera è ſcoriis poſſunt. Atque hâc ratione facile ſeparantur calaminaris lapis, marcaſithæ, Kobolt, Zinckum, Talcum, aliaque foſſilia, aurum nimirum continentia.

Cæterum omne aurum continens (utpote Stiriacum, Carinthiacum, Granacenſe, Tranſylvanicum &c.) hâc facile cum lucro ſeparari poteſt ratione ferrum. Etſi ferrum caret auro, ſi modo auro particeps antimonium, poterit inde illud ſeparari, fuſionis beneficio cum ferro, ſi nimirum redigitur in regulos. Reſiduum antimonium poterit denuo fundi cum novo ferro, novoque nitro, ponderis nimirum illo majoris, hoc verò minoris, & in regulum redigi, ſequentibus uſibus appropriatum. E ſcoriis conficiantur pondera, nequid pereat, utque plus inde ad te redeat

lucri ſicuti patebit è ſequenti exemplo.

Habito antimonio, cujus centenarius continet ducatus duos, ſi vis ſeparare aurum; accipe centenarium diviſum in part. 3. vel 4. funde ipſum ſ. a. adjectione ferri modici & ſalis fraxini, & redige in regulos parvulos pendentes ſimul unam vel alteram libram. Scorias poſtea funde denuo cum dimidio ferri pondere igne fortiori in crucibulo amplo, & accipies regulos plures librarum circiter 50. vel plurium, ſcorias lib. 40. quas redige in pondera vel in tormentum bellicum; reliquum pondus librarum 8. vel 9. evanuit in fumum converſum. Atque ſic redegiſti aurum in centenario contentum in lib. unam vel alteram regulorum, quos foci beneficio ſublimare poteris & in flores redigere, aurum in foco relinquentes, ſuis uſibus deſtinatos. Libras verò illas 50. vel 60. regulorum factorum additione multi ferri parum vel nihil auri poſſidentium, poteris admiſcere Jovi, venuſtatis, duritiei & clangoris gratiâ, pro variâ conficiendâ ſuppellectili, patinis, diſcis &c. Stannum enim tale regulis mixtum refert argentum duritie, albedine & clangore nec ita facile inquinatur, ſicuti aliud impermixtum &c.

Nunc etiam lucrum perpendamus profectum è ſeparatione antimonii pauperioris. Poſito quod centenarius antimonii veneat pretio 3. imperialium (tale enim plerumque venit pretio Polonicum, quod etſi ſit carius Hungaricum & Tranſſylvanicum, hoc tamen illo plus poſſidet auri) cui adjice lib. 60. ferri veteris, quod venit pretio imperia-

peria-

perialis dimidii, ſumptus verò impendendi carbonibus & crucibulis huic operi requiſitis, conſtant etiam imperiali dimidio: Summa expenſarum eſt 4. imperialium; quorum loco accipio ducatus duos in auro; 60. lib. regulorum; 80. lib. ſcoriarum; unam etiam vel alteram lib. florum. Libræ illæ regulorum 60. pretio veneunt ſtanni, cujus lib. 1. pretio venit unius quartæ imperialis unius, quare illorum totum pretium eſt 15. imperialium. Lib. 80. ſcoriarum in pondera redactarum pretio veneunt 40. ſolidorum, vel adminimum 24. ſive imperialis dimidii. Computatis computandis, & abſtractis abſtrahendis, relinquitur pretium 16. imperialium.

Etſi ♄ non niſi unum contineret ducatum; & libra regulorum venum iret $\frac{1}{8}$ parte unius imperialis, attamen reſiduum excederet pretium 6 imperialium: Poſſunt autem facilime unius diei ſpatio ſeparari 2. centenarii per homines duos. Et poſito quod nullum omnino in ſeſe contineret aurum (nonnunquam enim tale reperitur antimonium) lucrari tamen licet quotidie 4. vel 5. imperiales.

Habito verò ♄, cujus centenarius continet ducatus 3. 4. 5. ferroque ad ſeparationem requiſito aurum continente ponderis unius vel alterius ducati; tunc plus inde lucri exſpectare habes. Quare occupatus circa hoc negotium, proſpiciat ſibi de optimo ſemper ♄ & ♂. & facile lucrari poterit per diem imperiales 20. 30. & 60. quandoque. NB. Etſi tanta tibi daretur regulorum copia

quam non omnem cum Jove miſcere liceret, ex illius inopiâ; aliâ tamen divendi poteſt viâ, ita ut libra una venum eat pretio $\frac{1}{4}$ unius imperialis; quâ ratione lucrum quotidianum ſeparationis non diminuitur, ſed augetur potius, ut patet è ſequenti exemplo. Regulus ♄ eſt ſpecies plumbi maſculina; cujus primum Ens eſt ☉ impurum & maturum: plumbi verò vulgi ens primum, ☽ eſt immaturum & impurum, teſte experientiâ. Semper enim antimonium purgatum & fixatum dat ☉. Vulgi verò plumbum nonniſi ☽.

Et quia melius plumbo communi, vocatum à Philoſophis *Philoſophorum plumbum* Antimonium, ſive *plumbum.* illorum *Secretum*; à multis quidem ſic nominatum, à paucis verò cognitum; non quod res ſit incognita, originis ignotæ, ſed propter vires ejus occultas: Quare expreſſe dico, imperſcrutabilis eſſe vires ejus per ullum aliquem mortalium, 100. etiam annorum ſpatio, naturam ejus mirabilem perveſtigantem: Imperveſtigabile enim eſt, & centrum omnium mirabilium. Injunctum ſibi habeat ſilentium, nec glorietur de ſcientiâ, qui nullum in eo facit periculum. In ipſo enim per ipſum & cum ipſo, natura & ars tendunt ad perfectionem: De quo alibi plus.

Sequitur nunc ejus uſus.

Factâ mentione reguli antimonialis, quod plumbum ſit, & quidem melius illo communi, opor-

Digitized by Google

ni, oportet etiam, ut poſſit purificare impura metalla, lavare, occultum in iis ☉ & ☽ ſeparare; id quod commune præſtare poteſt; cui ſi adjiciuntur illa, attrahit partem impuriorem in cupellâ, quam convertit in ſcoriam, ſecumque trahit deorſum in cinerem poroſum, relictâ puriore ☉ & ☽ in cupellâ: Nonnullis verò utpote ♃ & ♂, plumbo morem non gerentibus & ab ipſo lavari nolentibus; occultum in iis ☉ & ☽ elici nequit; nec eſt qui ſcripſerit ſeparationis modum. Deſcripſit quidem Lazarus Ercker (nec-non alii ſeparationis modum ☽ à ♃ & ♂, qui quidem non contemnendus, ſi accidentaliter ☾ ſit admixtum, quod illo ſeparabile modo: generatum verò in ijs, iiſque radicaliter mixtum non item, requirens aliud plumbum amplectens libenter Jovem & Martem, quod præter regulum nihil præſtare poteſt.

Continentibus autem ♃ & ♂ ut plurimum multum ☉ & ♂ (cumprimis vero ♃) inſeparabilium nimirum plumbo vulgari; opere pretium eſt quærere aliud plumbum, aliumque ſeparationis modum; Sicuti non latet examinatores, ♃ & ♂ per plumbum viâ illâ vulgari in teſtâ probantes, dum ♃ & ♂ in plumbo liquefacta, ſtatim contumaciam ſuam exſerunt, innatâ proprietate illud deſerentia nimirum contrariâ, ſummitatem cineris inſtar ſive ſcoriæ petentia, abſque ullâ aliquâ ſeparatione, excepto ☉ & ☽ accidentaliter ſibi permixtis, quæ relinquuntur cum plumbo; non verò item occulta in centro cordis illorum. Sed

Sed ut dicti appareat veritas, per exemplum tibi illam demonſtrabo. Colloca in teſtâ ſub tegulâ partes plumbi 16. & unam ſtanni, ſecundum conſuetudinem probatorum, & adminiſtra ignem docimaſticum ſcoriarum producendarum gratiâ; & totum ♃. pauco excepto avolante, ſuperne accendetur, inſtarque cineris ſeparabitur, in ſummitate plumbi ſublimati; ☉ & ☽ ſibi incorporato non privati; id quod poſtea manifeſte demonſtrabo. Sublimato omni ſtanno è plumbo, & calcinato, necnon teſtâ ſub tegulâ ablatâ, & plumbo effuſo reſiduo, cupellando poſtea, reperies factâ cupellatione plus non argenti, quàm antea continuerunt 16. illæ plumbi partes, ſi fuiſſent abſque ♃. cupellatæ; imo quandoque minus, ob partem aliquam in examine ablatam per ♃. Id ipſum etiam fit cum ♂. Etſi adjiceres quoque ♀ cum plumbi vitro, ♃ & ♂ retinendorum gratiâ, ad ſeparandum ☉ illorum & ☽, nihil tamen efficeres: nam etſi aliquid plus hâc ratione eliceretur argenti, illud tamen non è ♃ vel ♂, ſed è ♀ profectum: oportet igitur ut eliciatur alia viâ, de qua poſtea.

Interea clare probabo, ſeparationem ♃ & ♂ per ♄ vulgi, ☉ & ☽ in illis contentorum, obtinendorum gratiâ, eſſe nullius valoris; quæ in iis relicta unà convertuntur in cineres & ſcorias.

Accipe ſtannum quodvis, illudque redige in cineres vel plumbi beneficio, vel agitationis beneficio

neſcio in fictili plano (probatum antea via vulgari, melioris diſcretionis gratiâ) quod probe calcina, ut ſtannum corporeum granulatum calcinetur etiam, vel liquefactum ſeparetur à cineribus. Poſtea ℞. hujus cineris part. 1. & fluxus ſequentis, ſive paulo poſt poſiti part. 6. vel plures; mixta funde in crucibulo forti, igneque forti; donec fluxus conſumpſerit & devoraverit calcem ſtanni, & ex ambobus unum factum fuerit, vitrum nimirum flavum vel rubrum; quod experiri licet filo ferreo immiſſo incurvato: quod ſi nondum eſt pellucidum, crucibulum iterum tegendum, & major ignis adminiſtrandus, uſque ad perfectam probam; qui plerumque labor ½ unius horæ ſpatio abſolvitur. Qua apparente effunde in mortarium æneum, cooperiendum poſtea, donec refrixerit, ne diſſiliat & amittatur.

Deinde tere illud in pulverem, cui admiſce æquale, Jovis calci, pondus limaturæ ferri. Mixta impone crucibulo fortiſſimo (quia maxime penetrativus eſt fluxus) cooperiendo, & adminiſtra ignem fuſionis fortiſſimum per horam dimidiam: quo facto effunde, fecit enim ♂ ſeparationem, reduxitque partem aliquam ♄ è fluxu, locum petentem inferiorem, ſeparandam ubi refrixerit, in teſta in ſcorias redigendam, poſteaque cupellandam, & reperies granum ☉, è ♃ elicitum, argento carentis. Etſi antea libraveris ♃ calcem pondere centenarii minori, & poſtea quoque granum illud ☉, facile conjecturare poteris,

teris, quantum ☉ contineatur in centenario integro cinerum ſtanni, nimirum ad minimum 3. 4. 5. 6. lotones, plus minus, ſi rite laboraveris.

Vides igitur nunc culpam non metallis ſed nobis imputandam, ſeparationem ☉ & ☾ ignorantibus.

Sed nolim tibi perſuadeas, multas te ex ♃. hâc ratione impetraturum divitias; quarum cauſa talia non ſcripſi, ſed ſolummodo poſſibilitatis demonſtrandæ gratia. Nihilominus majorem adhibens diligentiam, lucrari quid inde poteris. Etſi ſuſpicaris ☉ illud è ♂ vel fluxu profectū; miſce limaturam ferream cum fluxu, antequam adjicis ſtanni calcem, & ipſo actu reperies ☉ non è fluxu vel ♂ profectum ſed è ♃ certificatus igitur hâc ratione ☉ contineri in ♃, ſedulo tecum perpendas, quomodo illud inde convenientiſſime eliciatur, beneficio nimirum plumbi alterius, alteriuſque modi, uti docebitur poſtea. Sed noli arbitrari, plus non contineri, auri nimirum in ♃, quam audiviſti modo; plus enim continetur ibi, ſi modò prudenter elicere noveris. Nec negaverim plus auri, prædicti fluxus beneficio elici poſſe è ſtanno; requiritur autem tunc major diligentia, ſi majorem inde copiam elicere ſtudes. Non autem ſolum hujus beneficio fluxus, ſed etiam aliis diverſis modis multifariam, diverſa ☉ pondera, elici inde poſſunt: de qua re alici fuſius; quæ enim hic ſcripta, ſcripta ſunt poſſibilitatis demonſtrandæ gratia, quod

in

) in imperfectis contentum metallis, ſecreta
ıadam ſeparatione elici queat.

Fluxus requiſitus ad hunc laborem.

1. PArt. 1. arenæ albæ puriſſimæ ſive ſilicum, ☉ non continentium, fuſibilium; cui admiſce Part. 3. lithargyrii plumbi; mixta optimè unde igne fortiſſimo, ita ut fiat inde vitrum lavum tranſparens, quod effunde ut refrigeſcat, & redige in pulverem, quo utere prædicto modo. At quæris quare admiſceantur ſilices & arena, cum non ſint naturæ metallicæ: cui; quod ♃ calx, nec-non alia foſſilia contumacia examinari nequeant ſolo plumbo, ob ſequentes rationes nimirum quia in calcinatione ♃, natura ejus metallica occultatur, manifeſtantur autem partes ejus impuræ & terreſtres, quare nullam amplius cum plumbo cæteriſque metallis affinitatem habet; niſi plumbi quoque cæterorumque metallorum partes occultæ manifeſtentur, manifeſtæque occultentur, tunc enim facile ſeſe mutuo amplectantur iterumque miſcentur & quidem æque bene, ac non alterata.

Quod ad reliquorum metallorum attinet alterationem, illa huc non pertinet; ſola enim huc pertinet ♄ & ♃ alteratio, quæ hujus probæ demonſtrationis gratia hic deſcripta; cum qua res ita ſeſe habet.

Plumbum per ſe in cineres redactum, ſive in lithargyrium, & metallica forma privatum, ita

ita per ſe in hoc opere uſurpari nequit abſque filicibus vel arena propter rationem ſequentem. Plumbum plumbique vitrum per ſe factum eſt admodum fuſibile & volatile; ♃ verò calx difficulter funditur: quæ duæ calces etſi miſcerentur, fuſionis gratiâ in crucibulo, non tamen miſcerentur, nec ſe mutuo amplecterentur fuſa propter fuſibilitatis differentiam; quia calx Saturnia ſola; igne fuſa mediocri, crucibulum perforatura & penetratura, relictâ Jovis ſive ſtanni calce in crucibulo: quare plumbo arenam vel ſilices adjicere oportet ad impediendam nimirum nimiam ejus fuſibilitatem, ut cum difficulter fuſibilibus eundem ignis gradum tolerare, eorumque fluxum promovere poſſit. Similia enim mutuo ſeſe amant & amplectuntur; ſicuti aqua aquam; oleum oleum; vitrum vitrum; metalla metalla: non autem miſcetur aqua cum oleo; nec vitra miſcentur cum metallis; ſed metalla cum metallis; & vitra cum vitris, ſive è metallis, ſive ex arena fuerint confecta. Quare graviter errant, qui calces metallorum difficulter miſcibilium, vel alia duriſſima miſcent cum plumbo, probationis ſive examinationis gratiâ, non conſiderantes nullam cum ijs affinitatem habere corporale plumbum: qui in errore ſuo permanent, rem altius non perpendentes, ac proin nihil alicujus momenti invenire poſſunt.

Calcibus verò metallorum unitis cum plumbo beneficio alcujus medii, utpote ſilicum vel are-

næ,

næ, & colliquatis unà in vitrum tranſparens;tunc præcipitato irerumque ſeparato plumbo è mixtura, fieri nequit quin aurum in iis argentumque contentum ſecum auferat. Quæ artificioſa & Philoſophica proba, ac proin non contemnenda, quia multa per eam perpetrari poſſunt.

NB. Hoc autem non reticendum, quod in mixtione & fuſione mutuâ vitri Saturnei cum Jovis calce, aliiſve metallicis durioribus, facile peccare liceat in præcipitatione nimirum (quæ fit cum limaturâ ferri) auri cum plumbo in regulum, ita ut nihil impetretur propter exceſſum videlicet vel defectum, qui committitur in præcipitatione. Si enim in igne ſteterit mixtura diu non fuſa, comburitur ita ut rite ſeparari nequeat; at ſi fuſa nimis diu ſteterit in igne, attrahitur aurum à ſcoriis, propter ferrum nimirum admixtum, magnam cum auro affinitatem habens, ita ut hâc etiam ratione nihil impetrari poſſit: quare cautè tractandum negotium artificioſum, ingenium & induſtriam requirens. Oportet etiam regulum plumbeum igne non comburere nimio, dum in ſcorias redigitur; propter periculum auri à ferro attrahendi, & in ſcorias convertendi. Et quamvis hoc præcaveri poſſit arte, non tamen oportet ſtatim unumquemque artis ſine diſcrimine creare magiſtrum, diligentiam requirentis & exercitationem aſſiduam, præter librorum lectiones. Communicabitur autem hoc aliquando Secretum alibi.

Datâ

Data igitur admonitione, culpám erroris tui non mihi, ſed tibi imputato, ac ſi ſcripſiſſem falſa: noli inferre impoſſibilitatem attractionis auri per ferrum è plumbo, ejuſque converſionis in ſcorias; quæ mihi res non mira, etſi tibi mira & incredibilis videatur. Quam metallorum cognitionem habens facile percipiet ita ſeſe habere. Sed ut certus ſis hujus rei, experiri licet certitudinem ſequenti ratione: Accipe centenarios duos plumbi ponderis minoris examinatorum, colloca ſub tegulâ in teſta; adjice lotones 8. vel 10. auri puri; ſtanni lib. 2. vel 3. item lib. 6. vel 8. ferri, ponderis nimirum minoris: Fac ſimul probe fluere per horam integram ſcoriarum fiendarum gratiâ, more examinatorum conſueto: poſtea effunde, & ſepara plumbum à ſcoriis, cupellandum nimirum à ſcoriis ſeparatum; quo facto libra granum auri reſiduum, & reperies dimidiam ejus partem à ſcoriis ablatam. Si hoc accidit auro fixo corporali, quid ni accideret recenter extracto è metallo imperfecto? Diligenter igitur metallorum naturas indagato, & ejuſmodi caſus incredibiles non erunt amplius.

Ex hoc igitur aliiſque allatis exemplis facile apparebit, ſeparationem illam, quæ fit teſtarum & cupellarum beneficio, non eſſe veram & legitimam; ac proin eſſe quærendam aliam fructiferam metallorum ſeparationem; quia in illâ maxima pars ☉ & ☽ abit in ſcorias teſte experientiâ, cujus rei gratia prædictum fuit allegatum

exem-

exemplum; quò etiam pertinet probandi ratio, quantum nimirum auri attraxerint ſcoriæ, quæ ſequenti perficitur modo: ℞. Scorias reſiduas nigras, quibus admiſce pondus duplum ſalis tartari, colloca in crucibulo ad medietatem ſaltem repleto (propter metum ebullitionis) cooperto-que, ne quid incidat, ſub tegula vel inter carbones vivos unius vel alterius horæ ſpatio ad coquendum; & novus plumbi præcipitabitur regulus, quem à ſcoriis ſeparatum cupellabis, & reperies novum auri granum, attractum à ferro in ſcotiis, nunc autem vi ſalis tartari ſeparatum, martis domantis ferociam. Atque ſic audiviſti è duobus exemplis, quomodo in ſeparationis coctione, aurum è plumbo attrahatur per ♃. & ♂, & quod propterea opus ſit, aurum è prædictis metallis ſeparare per regulum antimonialem, & non per plumbum; ſi verum tenorem extrahere deſideras cum lucro.

NB. Poteſt etiam aurum è plumbi vitro (colliquato prius cum cineribus ♃) ſeparari cum pulvere carbonum, adjiciendo in fluxu, & admiſcendo cum filo ferreo; nec-non cum ſulphure communi, ſuperne comburendo. Prædictus autem cum ♂ modus: hiſce duobus præferendus auro ſpoliantibus &c. Quare reſiduæ ſcoriæ colligendæ, quæ poſtea beneficio peculiaris alicujus fornacis abſtractoriæ, certis quibuſdam aliis mediis urgendæ, ☉ argentique ſpoliati ſive ablati, recuperandi gratiâ.

Atque hæc omnia demonſtrationis gratiâ alle-

legata, quod☉ contineatur in ♃ & ♂, ſeparandum per regulum antimonialem, non autem per plumbum. Quomodo verò perficiatur illa ſeparatio, audies poſtea in Parte Tertiâ, ubi agetur de ♄. à Paracelſo explicato in lib. ſuo vocato *cœlum Philoſophorum*, aliiſque laboribus Chymicis artificialibus. Quare hîc omittitur, quia ſuperfluum tractare de unâ eâdemque materiâ in duobus diverſis locis. Interea poteris te exercere in minoribus, ut editis majoribus exercitatior accedere poſſis opus. Noli autem mirari liberalitatem meam publicationis tantorum ſecretorum, non enim mihi deſunt rationes. Impar enim ſolus ſum tanto oneri; nec valet avaris divitibus ſolis vendere; fidem non præſtantibus, nec pecuniam ſolventibus, poſtquam artem impetraverint; id quod etiam accidit mihi. Quare nonnulla ſecretorum meorum toti orbi, omnibus nimirum & ſingulis indifferenter communicare decrevi, ut & pauperibus fructus eorum decerpere liceret; certo mihi perſuaſus, quamvis apertiſſime ſcribam, non tamen omnes & ſingulos ſtatim & primâ fronte rem acu tacturos. Multi enim adeò etiam ſunt rudes, ut laborem ſæpe viſum imitari nequeant. Sæpe enim nonnulli me viſitarunt viſum novum meum deſtillandi modum, quo ſufficienter ad oculum demonſtrato, non tamen illum imitari potuerunt ſtatim, donec tandem crebrioribus veram invenerint ſemitam. Alii reliquerunt tanquam opus difficilimum, quando non ſtatim ſuccedere voluit.

Quod

Quod ſi accidit ijs, qui ocularem acceperunt demonſtrationem, quantò magis accidet ijs, qui præter lecta & audita habent nihil, ac proin opus difficillimum.

Quare certus ſum, quod etſi omnia mea & ſingula publicarem Secreta, non tamen ab omnibus & ſingulis ea ſtatim perpetrari poſſint hominibus, relictis materialibus & carbonibus neceſſitati meæ ſufficientibus. Quare non vereor, variâ proximâ opportunitate oblatâ, publicare Secreta utiliſſima & præſtantiſſima, in gratiam nimirum omnium & ſingulorum.

Quod attinet ad ſalis ſpiritum huic operi neceſſarium, invenies ipſum in Parte Primâ Furnorum Philoſophicorum correctâ & emendatâ; ſeparationis verò modum iu Parte Quartâ.

Atque ſic finem imponam huic libello, publicato in gratiam bello ad pauperiem redactorum, virorum proborum & honeſtorum. Quæ autem nunc in hoc parvulo deficiunt Tractatu, dabuntur (volente Deo) in proximo, qui ſequetur brevi, luculenter & abundanter ſine fraude.

FINIS.

I N-

INDEX.

PRoceſſus utiliſſimus, ſeparationis auri, è ſilicibus, arenâ, argillâ, talco rubro & nigro, aliiſque foſſilibus, continentibus aurum ſubtiliſſimum, rarum & ſpongioſum, quod aliàs ſeparari nequit vel ob ſui paucitatem, vel mineræ reluctationem propter ſumptus impendendos; facilima nimirum cum ſalis ſpiritu. 7.
Silicum præparatio, aurique in illis contenti extractio per ſalis ſpiritum. 14.
Idem labor per infundibula. 19.
Quomodo aurum immundum ſeparetur & purificetur per Antimonium. 22.
Modus ſeparationis auri & argenti ab Antimonio. 25.
Vſus florum antimonialium. 27.
Eorundem præparatio. 29.
De Viribus hujus Medicinæ. 33.
De uſu & Doſi hujus Medicinæ. 34.
Ejuſdem vires quas exſerit in Metallicis. 47.
Quomodo prædictus regulus, florum & ſcoriarum antimonialium uſurpandus in emendatione metallorum viliorum, nunc quoque

que

que docebo, ita tamen ne abuſu profanetur ars. 42.

Ejuſdem uſus. 56.

Fluxus requiſitus in hunc laborem. 61.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google